TOMI I. PARS VIII.

PETRI DE ALLIACO

Cardinalis Cameracensis

CANONES REFORMATIONIS ECCLESIÆ IN CONCILIO CONSTANTIENSI,

Scripti in ipso Concilio œcumenico,

Et IMPERATORI SIGISMUNDO

ac universo Concilio oblati.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.

DUCIS &c.

Ex *antiquissimo Codice MSCto*

AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ

VINDOBONENSIS

recensiti ab

HERMANNO von der Hardt/

Acad. Jul. Professore.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1696.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

JOHANNES RAVISIUS TEXTOR,
laudante *Launojo* in *Academia*
Parisiensi Illustrata
p. 476.

* † *

PETRUS DE ALLIACO
CARDINALIS
Vir
doctrina & moribus
spectatissimus
non modo Galliam
at
universum terrarum orbem
radiis virtutum speciosissimis
illustravit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Christiano Lectori
S. P. D.

HERMANNUS von der Hardt.

Petrum de Alliaco, *Cardinalem*, doctrinâ & in Ecclesiæ salutem affectu *eminentissimum*, consiliis suis in Reformationis Ecclesiæ negotio IMPERATORI SIGISMUNDO ac universis Ecclesiæ capitibus olim subvenisse, ex superioribus satis abundeque elucet. *Ante Concilium Constantiense Oecumenicum* inchoatum, non solùm inchoandum illud esse suaserat, sed & quæ in eo tractanda momenta, sincere ac aperte monuerat. Uti ex duobus superioribus ejus opusculis, MSCtorum ope exhibitis, luculenter patet.

In ipso etiam *Concilio*, in quo Reformatorum certum erat definitum Collegium, non destitit priora sua consilia repetere atque confirmare vel & illustrare. Omnem sibi oblatam occasionem de hoc negotio arduo apud Imperatorem, in Nationum consessu, in publica Synodo agendi dicendique, lætus lubensque arripuit. Eandemque causam & *scriptis* complexus omnibus Concilii assessoribus enixe commendavit.

Hinc natæ variæ *orationes solennes* nostri *Alliaci*, in publico totius splendidissimi Concilii conspectu *de Ecclesiæ Reformatione* ut *inchoanda* ita & *perficienda* habitæ. Quas omnes huc referre nec locus, nec scopus, nec operis moles admittit. Legi possunt à cupido lectore in *Tomo I. operum nostri Cardinalis*, quæ *Argentinæ*

prodierunt *A.* 1490. Nec omnes ejus orationes in Concilio hac de re habitas impressas esse, lubentes fatebimur, qui permulta alia ejus scripta in Bibliothecis illustribus latere probe meminimus.

In Celeberrimo & MSCtorum olim copiâ dirissimo Helvetiorum Cœnobio *AUGIÆ DIVITIS* hodienum reperiuntur præclari aliquot *codices MSCti*, quibus *orationes Virorum magnorum, in Concilio Constantiensi* in æde Cathedrali in splendido consensu habitæ, à Benedictino istius Cœnobii Monacho in Concilio præsente exceptæ & collectæ, comprehenduntur. Vidit hos insignes *Codices MSctos*, præclara antiquitatis monumenta, in laudato *AUGIÆ DIVITIS* inclyto *Monasterio, Vir Illustris, JOHANNES ULRICUS PREGIZERUS, Serenissimi Wurtenbergensium Ducis Consiliarius excellentissimus, Historiæ antiquæ ac recentioris Germaniæ callentissimus.*

In his orationibus magnorum in Concilio virorum, *Francisci de Zabarellis Cardinalis, Henrici de Hassia, Johannis Spindleri, Johannis de Rocha, Jacobi Episcopi Placentini, Mauritii de Praga, Andreæ Episcopi Poznaniensis, Theodorici de Monasterio Episcopi Firmani, Eberhardi Baptizati Monachi ordinis S. Benedicti Abbatis, Matthæi de Anglia Aichstetensis sacerdotis, Johannis Zachariæ Legati Universitatis Erfordensis, Burckardi Vagrii Conventus Montispessulani, Alexandri Episcopi Placentinensis, Stephani de Praga, Jacobi Episcopi Laudensis, Johannis Huguonotti de Metis Licentiati Juris Legati universitatis Avinionensis, Johannis Zachariæ Theologiæ Professoris, Johannis Gersonis Cancellarii Parisiensis, Petri Bertrandi Cardinalis, Joannis de Goussuon*, nostri quoque *CARDINALIS CAMERACENSIS* sermones locum habent.

Memorabile præterea, in hoc *Codice MSCto Augiæ divitis*, à doctissimo illius Cœnobii Monacho Benedictino miserabilem & corruptissimum Ecclesiæ ac Reipublicæ illius temporis statum his describi verbis: *Recessit lex à sacerdotibus, Justitia à Principibus, consilium à Senioribus, fides à populo, à filiis reverentia, à subjectis charitas, à Prælatis religio, à Monachis devotio, à Monialibus honestas, à juvenibus disciplina, à clericis doctrina, à magistris studium, à scholaribus timor, à servitoribus æquitas, à judicibus integritas, à militibus fidelitas, concordia à civibus, communitas à rusticis, bonitas ab artificibus, veritas à mercatoribus, largitas à divitibus, castitas à virginibus, virtus & mœror à viduis, munditia & fiducia à conjugatis. Et nunc quid fratres, nisi venite ante Christum! Amen. Christus quasi nullus habetur, & à potentibus hujus seculi velut peregrinus reputatur.* Quod præcipuum omnino orationum illarum argumentum esse, vel ex sermonibus *Mauritii de Praga, Eberhardi Baptizati, Jacobi Episcopi Laudensis*, aliorumque clarorum virorum, quos proxime hoc *Tomo I.* ex variis aliis præclaris *MSCtis antiquis* exhibere animus est, elucescet.

Missis ergo tantisper illis, in *Petri* nostri *Cardinalis* orationes in Constantiensi Concilio dictas oculos nunc flectere par erit. Vehementer conquestus illo tempore *Petrus* hic de extrema Ecclesiastico-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſticorum corruptione, in *oratione in Matth.* 20. de vinea domini, his inter alia uſus verbis: *Hodie prohdolor, fratres cariſſimi, plures Eccleſiaſtici viri, quia præmiſſis virtutum conditionibus privati ſunt, ſe in vineam Domini, non ex approbatione divina, ſed diabolica potius præſumptione, miſſos oſtendunt. Sunt enim plurimi, ut Gregorii verbis utar, qui intra ſanctam Eccleſiam culmen regiminis & gloriam affectant honoris, ſed quæſitum aut per ambitionem ſuſceptum curæ paſtoralis officium digne miniſtrare nequeunt, quia ad virtutis magiſterium ex ſola elatione pervenerunt. O elata nimium præſumptio. Dudum ſiquidem homines ſoliti erant per virtutem ad dignitates Eccleſiaſticas pervenire. Jam verò in Eccleſia Chriſtianorum fieri videmus, quod olim in politia Romanorum Saluſtius factum eſſe conqueritur: Furtim & per latrocinia potius quam bonis actibus ad honores & imperia nituntur. Et ut idem eleganter ait: Plurima fuere, quæ majores noſtros magnos fecerunt, quæ in nobis nulla ſunt: Domi induſtria, juſtitia foris, animus in conſulendo liber, neque delicto neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam, avaritiam, publice egeſtatem, privatim opulentiam: Inter bonos & malos diſcrimen nullum, ſive diſtinctio nulla eſt. Omnia præmia virtutis ambitio poſſidet. Magna ſunt hæc quæ lamentatur Saluſtius, ſed longe majora lamentabiliora que dixerim. Jam enim non ſolum inter bonos & malos diſcrimen nullum, ſed diſtincti magna longaque diſtantia. Nam mali in dignitatibus præſunt, boni vero indigniſſimis ſubjecti ſunt. Nec ſolum virtutis præmia poſſidet ambitio, ſed ut Boëtius dicit, Imperante malitia, virtus non ſolùm præmio caret, verùm etiam ſceleratorum pedibus ſubjecta calcatur. Ecce ergo quot & quanta mala ſequantur, quia ab imperitis & indignis Eccleſiaſticum regimen præſumptuoſa temeritate ſuſcipitur. Contra quos Dominus per prophetam conqueritur dicens: Ipſi regnaverunt & non ex me, principes extiterunt & non cognovi, Hoſ. 8. Nam ut in primo capitulo regulæ paſtoralis dicit Gregorius: Ex ſe & non ex arbitrio ſummi rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus nequaquam divinitus vocati, ſed ſua cupidine accenſi, culmen regiminis rapiunt potius quam aſſequantur. Hos ergo ſupremus viticola in vinea ſua permittendo tolerat, ſed eos profecto per judicium reprobationis ignorat. Unde talibus qui virtutes non habent, etiamſi miracula facerent, a Domino dicitur: Diſcedite a me, qui operamini iniquitatem, quia nunquam novi vos. Matt. 7.*

Eandem orationem replet *Petrus Alliacenus* & his querimoniis: *Hodie proh dolor, fratres cariſſimi, plures eſſe videntur in vinea Domini, qui omnino ſpiritualia & æterna poſtponunt, & corporalis ſuſtentationis quæſtum ac temporalis honoris faſtum cupiunt. De quibus conqueritur dominus per Prophetam: Vos depaſti eſtis vineam meam, Eſa. 3. Cum enim ſolùm hoc quærant, ut carnis voluptatibus & vanis honoribus paſcantur, & fructum divini operis non ſectentur, reſtat, ut Eccleſiaſtica vinea infructuoſa reddatur. Unde fit, quod per eundem Prophetam dicitur: Expectavi ut faceret uvas, fecit autem la-*

bruſcas, Eſ. 5. O miranda nimis & miſeranda mutatio. Jam enim vinea domini, quæ uvas virtutum feciſſe debuerat, labruſcas vitiorum facere comprobatur: Et quod horrendo monſtro ſimillimum eſt, uvæ in labruſcas, i. e. virtutes in vitia transformantur, ac juxta Senecæ ſententiam: Ideo deſiit remedii locus, quia quæ fuerunt vitia, mores fiunt. Ecce enim, ut Bernardus ait: Parcitas putatur avaritia, ſobrietas auſteritas creditur, ſilentium triſtitia reputatur: Econtra vero remiſſio diſcretio dicitur, effuſio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio jucunditas, mollicies veſtimentorum & equorum faſtus honeſtas, lectorum ſuperfluus cultus munditia.

Claudit hanc orationem *Alliacus* his votis: *Oremus dominum, fratres cariſſimi, ut ab hujusmodi belluis monſtroſisque beſtiis Eccleſiaſticam vineam eripiat, & nos ceterosque viros Eccleſiaſticos idoneos ſibi miniſtros & tales operarios efficiat, de quibus ad ejus laudem & Eccleſiæ utilitatem ſinguli dicere valeant præmiſſam Chriſti ſententiam; Miſit illos in vineam ſuam.*

Magnæ huic Eccleſiaſticæ calamitati remedia quæſita & ex parte admota eſſe in Concilio Conſtantienſi, commemorat *Alliacenus* aliis orationibus in Concilio habitis. Scilicet A. 1417. medio quadrageſimæ, in ſermone publico ſuper hæc verba, Lætare Hieruſalem, inter alia ita infit: *De quo in Evangelio legitur: Videns Jeſus civitatem Jeruſalem flevit ſuper eam; Non ad illam utique, ſed ad te univerſalem Eccleſiam militantem ſpectat; Et ad hoc ſacrum generale concilium, te repræſentantem, maxime pertinet, quod hodie canendo dicitur: Lætare Hieruſalem. Sed jam videre mihi videor matrem Eccleſiam triſtem & lacrymoſam ad hæc queruloſe reſpondentem atque dicentem: Quomodo fiet iſtud? O fideles filii, quomodo aut quo pacto lætari potero, quæ triſtitiæ cauſas ſignaque triſtium eventuum undique conſpicio. Ecce inquit ipſa. Ecce ego mater olim felici prole fecunda, jam diu & prob dolor nimis a reprobis filiis, quos enutrivi & exaltavi, ſpreta ſum. Nec ſpreta ſolum, ſed non minus quam vetus illa Hieruſalem multipliciter conculcata. Ego dudum à Chriſto ſponſa mea ſupra firmam petram fundata, ejus ſanguine conſecrata, Apoſtolorum prædicatione ſolidata, tot Martyrum totque ſanctorum meritis & virtutibus aucta, tam magnifice principum & Chriſtiani populi devotione dotata, tam diuque divitiis & honoribus proſperata, jam innumeris periculis & adverſitatibus circumdata ſum, & ex longa malorum experientia timeo præcipitium ad pejora. Heu heu videtis ô fideles filii videtis me matrem veſtram, Chriſti ſponſam, multipliciter diviſam, mirabiliter laceratam, miſerabiliter deformatam. Si hæc piis oculis videtis, utique lacrymari magis vobis convenit quam lætari, mihique dulcius eſt meam deflere triſtitiam, quam audire, Lætare Hieruſalem.*

Quibus Eccleſiæ lacrymis ſolatium ſubdit *Alliacus* ex Concilii Conſtantienſis ope petitum. *Ad hujusmodi*, inquit, *lacrymoſas querelas matris Eccleſiæ devoti ejus filii in hac ſacra ſynodo congregati, eam conſolando reſpondent: Lætare Hieruſalem, Exulta Chriſti ſponſa, o-*

ſa, omnium fidelium mater Eccleſia. Quia cauſam hujus lætitiæ & exultationis tuæ ſequentia introitus Miſſæ verba declarant, quibus dicitur: Conventum facite, *i.e. ad generale concilium convenite, omnes qui diligitis eam, qui ideo filiali devotione ex matris dilectione conveniſtis, ut eam diviſam reunire, laceratam reparare, & deformatam reformare, divina favente gratia valeatis. Et quia hoc pie ſperandum eſt, ideo ſubditur:* Gaudete in lætitia, *qui in triſtitia fuiſtis. Præceſſit igitur magna triſtitia, ſed jam major lætitia ſubſequatur. Fiat cauſa majoris lætitiæ prioris triſtitiæ memoria. Sic enim juxta Virgilii ſententiam, Præterita olim mala meminiſſe juvabit. Scimus itaque, multas cauſas multaque ſigna præceſſiſſe triſtitiæ & mæroris, diſcordiæ & furoris, miſeriæ & doloris, cauſas videlicet atque ſigna ſchiſmaticæ diviſionis & Eccleſiaſticæ deformationis. Jam verò quid gaudenter referimus? Videmus ſigna jucunditatis & lætitiæ, ſigna caritatis & concordiæ, ſigna proſperitatis & complacentiæ, ſigna videlicet pacificæ unionis & reformationis Eccleſiaſticæ. O mirabilis mutatio dexteræ excelſi. O præclarum diem, & quem merito fauſtum dixerim, ſub quo hoc fieri contigerit! O beatos oculos, qui hoc videre meruerint, o felicem locum, hanc videlicet Conſtantienſem civitatem, quam dominus ad hoc eligere dignatus eſt. Sed magis laudanda atque extollenda immenſa Dei clementia, quæ pulſis præteritis malis tam ingens ſuæ largitatis beneficium conferre diſpoſuit. Eja igitur poſt tanta tamque triſtia mala horrendi ſchiſmatis, quæ mens humana vix rememorare ſufficiat, jam merito lætetur Hieruſalem, jam exultet & gaudeat mater Eccleſia de innumeris & inenarrabilibus bonis, quæ ex hac unione ſimul ac reformatione ſperamus. SPERAMUS equidem VERAM UNIONEM NON ABSQUE REFORMATIONE: SPERAMUS VERAM REFORMATIONEM NON ABSQUE UNIONE. UNA QUIPPE SINE ALTERA ESSE NEQUIT, dicente Pſ. Juſtitia & pax ſe oſculatæ ſunt. Hæ duæ, teſte Auguſtino, ſorores ſunt & ſeſe inſeparabiliter comitantur. SI ERGO UNIONIS PACEM QUÆRIMUS, REFORMATIONIS JUSTITIAM PROSEQUAMUR.*

Impenſum Alliaci deſiderium ſeriæ reformationis Eccleſiaſticæ, in Concilio Conſtantienſi quæſitæ ac expectatæ, *præcipuumque* adeo *orationum ejus in Concilio hoc habitarum argumentum* ex dictis ſatis ſuperque patet. Ut ex aliis ejus orationibus ibidem publice dictis plura hic afferre non ſit neceſſe Alliaceni voti teſtimonia. Ne quid verò deſideretur, ſub finem hujus opuſculi Alliaceni, aliorum ejus ſermonum, quos *in Concilio* iſto *de Eccleſiæ Reformatione* habuit, ſummam pertexemus.

Ceterum præter Orationes illas ſolennes, variis etiam *ſcriptis* ardentia pectoris ſui vota atque deſideria univerſo *Concilio præſenti* cum expoſuerit: Excellit in his præſens celebre opuſculum *de Reformatione Eccleſiæ.* Qui *ante Concilium* plus ſimplici vice jam monuerat, indigere Eccleſiam ſui temporis ingenti emendatione, quique momenta reformationis præcipua notaverat, medelamque corruptioni adhibendam deſignaverat: *In ipſo* quoq; *Concilio* in conſpectu

ſpectu ſummorum totius Chriſtiani orbis capitum eadem repetere, urgere atque illuſtrare *hoc opere* enixe laboravit.

Ante omnia *Concilia generalia* frequentius celebranda eſſe monet. Ut communibus Eccleſiaſtici ſtatus defectibus communis adhibeatur medicina. In ſingulis etiam regionibus, Chriſtiano nomine inſignitis, *Concilia provincialia* ſingulis ad minimum triennis inſtituere ſuadet, exemplo primæ Eccleſiæ. Damna ex neglectu horum provincialium Conciliorum orta enumerat. Dubia & generalibus & provincialibus conciliis objecta ſolvit. Commoda, in Eccleſiam ex illis celebratis orta commendat. Illos reprehendit, qui illis obſtiterint & adhuc obſtent. Momenta in Generali Concilio pertractanda recenſet. *Curiam* præcipue *Rom.* ſui ævi emendatam cupit. *Cardinalium* ſtatum in meliorem formam redigi optat. Unde & quo numero ſint adſciſcendi, indicat. *Onera* nimis gravia *Eccleſiis* per Ro. curiam olim *impoſita* levare & exactiones mitigare jubet. *Functiones Eccleſiaſticas* rite vult diſtribui. *Excommunicationes* nimis frequentes dicit reſtringendas. *Epiſcoporum doctrinam* & bonos characteres poſtulat. *Titulares Epiſcopos* repudiat. Legitimorum *Epiſcoporum officia* in viſitationibus provincialibus determinat. Eorum in Eccleſiis præſentiam requirit. *Viſitationis provincialis* ſalubres regulas definit. *Simoniæ* obviam quo pacto decenter eatur obſervat. *Canonum Eccleſiaſticorum* moderationem ſubinnuit. *Templorum ac feſtorum dierum* religioſitatem limitat ac circumſcribit. *Monachorum* porro ordines minuendos ait. Ordinem mendicantium Eccleſiis oneri porro eſſe vetat. Quæſtores illorum prædicantes coercere jubet. Studia & victum rigoremque quorundam moderatur. Ad *officia Eccleſiaſtica* dignos vocat, indignos ab illis arcet. Doctos & bene meritos commendat. Promotiones ad ſacra officia ab abuſibus liberat. *Diſtributionem* quoque *graduum Academicorum* ſuis circumſcribit limitibus. *Lectiones Academicas* ad verum uſum revocat, linguarumque ſtudium inculcat. *Concubinas* Eccleſiaſticis prorſus denegat. *Sacerdotum ignorantiam* perſtringit. *Bibliothecas* Eccleſiarum inſtruit, & in illis *Conciliorum Tomis* haud poſtremum aſſignat locum. *Principes* denique & *aulicos* amat Chriſtianos. *Principum filios* literis imbui gaudet. Plebis ſuperſtitionem Principum cura aboleri expetit. Principibus Eccleſiæ ſuæ reformationem vindicat. Illorum erga Concilia generalia affectum celebrat. *Concilii generalis* diſtributionem per nationes, qualis erat in Conſtantienſi præſente, disſuadet, aliamque per provincias præfert. *Concilii generalis* qui præcipui *Aſſeſſores* conſtituendi ſint deſcribit. Provincialia Concilia requirit ante quam Generalia inchoentur. Principes poſtremo ad Eccleſiæ reformationem ſerio invitat. Eccleſiaſticos omnis corruptionis originem eſſe pronunciat. Quosdam tamen in clero bonos excipit.

Prodiit quidem ſed maculatum atque non ſatis integrum *hoc Alliacenum opuſculum* in ſuperioris ſeculi exordio, h. t. *De Emendatione Eccleſiæ libellus*, *a Reverendiſſimo Domino Petro de Alliaco Cardina-*

Cardinali Cameracensi Patribus olim oblatus in Concilio Constantiensi congregatis, quod Christianissimus Princeps Sigismundus Augustus convocarat, non tam ob Ecclesiæ concordiam quam communis morum emendationis spe. Quæ quo minus processerit, per hunc non stetit, sed per Ecclesiasticos &c. Primus hic editor anonymus, videtur fuisse *Ulricus ab Hutten*, *Eques Francus*, vir literatissimus, & Manuscriptorum scrutator sedulus, sed & vehementiori affectu præditus. *Præfationem* opusculo præmisit, quâ Sigismundi Imperatoris incomparabile pro Ecclesiæ salute studium deprædicat. *Cujus cor tam est lapideum*, inquit, *quod non commoveatur? Cujus oculi tam sicci sunt, ut non madescant undis lacrymarum, qui cogitet, quid intentatum reliquerit Christianissimus ille Princeps Sigismundus Augustus, quo dissentientes in concordiam redigeret Pontifices, ut tandem rempublicam Christianam pulchre emendatam ad evangelicam amussim cerneret prius quàm vita fungeretur? Indixit Concilium in Constantia Germaniæ. Ipse in Britanniam navigavit, in Arragoniam profectus est, Galliam adiit, amore concordiæ. Quam ubi tandem obtinuisset, & jam Oddo Columnensis in Pontificem electus esset, exuberanti gaudio velut extra se raptus plane sperabat Ecclesiasticos proceres emendationi publicæ statim operam daturos.* Dolet vero Huttenus, spe sua excidisse Sigismundum. Quod deplorabant plerique illius ætatis viri maximi ac religiosissimi. Quia in Concilio dissensiones ortæ de reformationis ordine, an prius desiderata Reformatio suscipienda atque perficienda, an potius novus ante Papa eligendus à quo reformatio dirigenda. Pro quo posteriori *Alliacenus* pugnavit. Memorat dein Huttenus, idem cum Sigismundo animi habuisse *Petrum de Alliaco*, qui imbutus aliàs Theologia scholastica, temperare sibi non potuerit, quin hunc libellum, pro publica morum emendatione à se conscriptum, Patribus in Constantia Germaniæ jussu Cæsaris Sigismundi congregatis offerret. Ceterum eventum votis non semper respondere, in magnis æque ac parvis negotiis, dies docet. Ut eapropter æquo potius animo cuncta sint accipienda fata. Quod docere nos poterat Salomon, Rex sapientissimus, in suo Ecclesiaste.

Primam hanc editionem expressit extemplo *Ortvvinus Gratius*, *Coloniensis Academiæ Professor*, *in suo Fasciculo Rerum expetendarum*, *Col.* 1535. servata plane & inscriptione & præfatione Hutteniana, maculis etiam non expunctis.

Quoniam verò has præclaras Concilii Constantiensis partes, similesque, non ex dubiis quibuscunque codicibus impressis, sed ex *antiquissimis* fideque dignissimis *MSCtis* repetere clementissime mandavit SERENISSIMUS PRINCEPS RUDOLPHUS AUGUSTUS: Hinc præsens etiam *monumentum Alliacenum* ex nobilissimo *Codice MSCto*, ad Concilii ætatem spectante, in AUGUSTISSIMA BIBLIOTHECA CÆSAREA VINDOBONENSI cum aliis curate servato, depromere divinâ Cæsareaque augustissima gratia datum.

Est hoc *MSCtum* multo correctius editis. Neque prætereundum plane, quod in prima *Hutteniana* editione, alteraque *Coloniensi* ac reliquis memoretur, scriptum editumque hoc esse opusculum à Cardinale in Concilio *A.* 1415. *Cal. Nov.* In *MSCto* verò *CODICE VINDOBONENSI* annus designatur proximus, his verbis ad calcem operis adjectis: *Scriptum Constantiæ Anno Domini Millesimo CCCC XVI. die prima mensis Novembris.*

Ut & in hoc *temporis* momento, præclara operis hujus circumstantia, *MSCtus* hic *CODEX VINDOBONENSIS* editos longo intervallo post se relinquat. Scripserat ac publicaverat in Concilio *A.* 1416. *die* 1. *mensis Octobr.* publicâ recitatione in Ecclesia S. Pauli, celebre opus *De Ecclesiastica potestate*, teste *MSCto VINDOBONENSI.* Posthæc, uno duntaxat mense elapso, præsens *De Reformatione Ecclesiæ* opus Concilio publice exposuit, A. 1416. d. 1. Nov. Eundem horum suorum monumentorum ordinem ipse notavit *Aliacus* in ipso hoc libro, *cap.* 2. *sub fin.* Vid. *infr. f.* 418.

Quod autem *in Capita* liber non esset in MSCto distinctus, pro antiquo more: Fas nobis esse putavimus in *Capita* dividere ac congruis *argumentis* ornare, ut hodierno legentium palato tenui hoc condimento inserviremus.

Inscriptionem libelli in MSCto Codice offendimus hanc: *Incipit tractatus Cardinalis Cameracensis De Reformatione Ecclesiæ, editus Constantiæ in Concilio Generali.* Leviter mutasse, aut ad argumentum libri sollicitius aptasse titulum, fas fuerit.

De cetero nostram ætatem hæc non afficiunt, quæ tot seculorum intervallo ante nos gesta. Intuemur hæc eminus, tanquam in specula, longissime à nobis & tempore & moribus remota. Tantoqi tranquilliori animo hæc universa contemplamur, quanto videntur secula nostra cultiora atque majoribus prudentiæ præsidiis instructa. Quæ sunt orbis fata, disparia, ob varia virtutum ac vitiorum intervalla. Exempla verò majorum trahunt nos in sincerum Dei cultum, impensum Ecclesiæ amorem, devotamque Imperatoris venerationem, juxta effatum Christi: DEUM time ac REGEM honora.

PE-

PETRI de ALLIACO
Cardinalis Cameracensis
CANONES REFORMANDI ECCLESIAM IN CONCILIO CONSTANTIENSI,
Anno CCCC. XVI. *cal. Nov.*
In ipso Concilio Generali scripti & oblati.
Ex antiquissimo MSCto AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS.

PRÆFATIO.
De corruptione Ecclesiæ circa tempora Concilii Constantiensis, Reformationisque necessitate.

DE REFORMATIONE ECCLESIÆ dudum plura *per me* scripta nunc compendiosius recolligere, & *sacri generalis Concilii Constantiensis* examinationi atque correctioni præsentare decrevi. Quæ *ecclesiæ reformatio* quam necessaria *olim* fuerit, & amplius *modo* sit, evidenter ostendit defienda ipsius *deformatio*. *De qua* lamentabiliter conquerebatur beatus *Bernhardus*, *sermone XXXIII. super Cantica*, ita dicens: *Serpit hodie putrida tabes per omne corpus ecclesiæ, & quo latius eo desperatius, eoque periculosius quo interius. Nam si insurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras & arescceret: Si violentus inimicus, absconderet se forsan ab eo. Nunc vero quem ejiciet, aut à quo abscondet se? Omnes amici, & omnes inimici: omnes necessarii, & omnes adversarii: Omnes domestici, & nulli pacifici: Omnes proximi, & omnes quæ sua sunt quærunt: Ministri Christi sunt, & serviunt Antichristo: Honorati incedunt de bonis domini, qui domino honorem non deferunt.*

Reformatio Ecclesiæ ob ejus deformationē necessaria habita tēpore ConciliiConst.

Corrupta Ecclesia tempore Bernhardi.

Et enumeratis quibusdam *excessivis abusibus ecclesiasticorum*, subdit: *Olim prædictum est, nunc tempus impletionis advenit: Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugere non fugere eos potest, ita invaluerunt, & multiplicati sunt super numerum. Intestina & insanabilis est plaga ecclesiæ: & ideo in pace amaritudo ejus amarissima. Sed in qua pace? Et pax est, & non est pax. Pax à paganis, pax ab hæreticis, sed non profecto à filiis. Vox plangentis in tempore est: Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me: Spreverunt & maculaverunt me turpi vita, turpi quæstu, turpi commercio, negocio denique perambulante in tenebris.*

Excessivi abusus Ecclesiasticorum.

Si hæc à beato *Bernhardo* dicta sunt, nunc multo magis dici possunt. Quia ex eo Ecclesia de malis ad pejora processit, & in omni tam spirituali quam seculari statu abjecto *decore virtutum* in variam cecidit *turpitudinem vitiorum.*

Corruptior Ecclesia tempore Concilii Constantiensis.

Propterea ex eo quidam spirituales, mala hæc subtilioris intelligentiæ oculo prævidentes, præsentem ecclesiæ persecutionem & *hujus schismatis* horrendam monstrosamque divisionem, subtractionem quoque obedientiæ ab ecclesia Romana, & alia plura scandalosa inde secutura prædixerunt. Sicut patet in *libris abbatis Joachim & Hildegardis.* Quos non esse contemnendos, quorundam magnorum doctorum probat autoritas.

Hæc autem deus misericordissimus, qui

Corruptio Ecclesiæ est occasio reformationis.

qui solus ex malis bona novit elicere, ideo permittere credendus est, ut eorum occasione *ecclesia sua in melius reformetur.*

Maturanda reformatio.

Quod nisi celeriter fiat, audeo dicere, quod licet magna sint quæ videmus, tamen brevi incomparabiliter majora videbimus, & post ista tonitrua tam horrenda, alia horribiliora in proximo audiemus. Eapropter summopere vigilandum est circa *reformationem ecclesiæ.*

Ideo circa hoc aliquas considerationes particulares scribere & prudentum examinationi proponere dignum duxi. Nec omnes quidem: Quia ad hoc & majori libro & majori ingenio opus esset: Sed utiliores, & meo judicio magit necessarias, & per quas ad omnes alias via poterit facilius aperiri.

Prima autem consideratio erit *de reformandis circa corpus ecclesiæ.*

Secunda, *de reformandis circa ejus caput*, scilicet *circa statum Papæ & Romanæ curiæ.*

Tertia, *de reformatione principalium ecclesiæ partium*, scilicet *prælatorum.*

Quarta, *de reformandis circa religiosos.*

Quinta, *de reformandis circa cæteros ecclesiasticos.*

Sexta, *de reformatione laicorum Christianorum.*

CAPUT I.

De Reformatione circa totius corporis universalis Ecclesiæ. De celebrandis Conciliis generalibus ac provincialibus.

Reformatio totius Ecclesiæ necessaria.

PRima consideratio est de his, quæ viderentur *reformanda circa totum corpus universalis ecclesiæ.*

Ubi primo occurrit esse expediens & necessarium, ut sæpius quàm hactenus factum sit *generalia concilia* celebrentur.

Concilia generalia celebranda.

Concilia provincialia frequentanda.

Item videtur expediens, ut etiam sæpius celebrarentur *concilia provincialia.* Quia, (ut patet *XVIII. dist. Decreti*,) sancti patres, propter ecclesiæ utilitatem, primo statuerunt ea *bis in anno* celebrari. Postea vero propter fatigationes, & ut opportune haberentur, hi qui congregandi sunt statuto synodali definierunt, omni excusatione remota modis omnibus *semel in anno fieri*, & *depravata corrigi.*

Synodorũ neglectus.

Unde & *Episcopi*, qui ad synodum venire contemnunt, & principes qui hoc prohibent vel impediunt, vel *Metropolitani*, qui absque rationabili causa hoc agere negligunt, canonicis pœnis subjacent. Ut hæc probantur *in dicta dist. quasi per totum*, & in multis canonibus conciliorum. Ut *in secundo cap. Carthaginensis concilii tertii: Et in alio capitulo Toletani concilii sexti, & in tertio capitulo quarti concilii Toletani*, ubi sic legitur: *Nulla penè res disciplinæ mores ab ecclesia Christi magis expellit, quam negligentia sacerdotum, qui contemptis canonibus ad corrigendos mores Ecclesiasticos synodos facere negligunt.*

Sacerdotum negligentia.

Et certe hodie docet experientia, quot & quanta mala ex hujusmodi *negligentia* proveniant. Et ideo necesse est providere, ut *hujusmodi concilia* sæpius fiant, & si non semel in anno juxta rigorem canonum, saltem *de triennio in triennium* ad evitandum vexationes itinerum, laborum, & quia omne rarum pretiosum.

Synodi congregandæ ad corrigendos mores.

Et si dicatur quod hodie non sit opus *generalia* aut *provincialia* concilia congregare, sicut fuit in primitiva ecclesia: Et quod ad tollendum vexationes prælatorum in hujusmodi conciliis, Ro. Ecclesia seu *papalis curia* possit sufficienter casibus emergentibus providere: Respondetur: Quod hoc *non sit utique verum.* Tum primo, quia experientia docet, quod *propter defectum conciliorum*, & maxime *generalium* totius ecclesiæ, quæ sola potest audacter & intrepide *omnes corrigere, ea mala, quæ universalem tangunt ecclesiam*, diu remanserint impunita, incorrecta, & adeo cre-

Curia Ro. corrigendis Ecclesiasticorũ moribus non sufficit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Inveterata Ecclesiæ mala.

eo creverint & inveterata sint, ut tandem *multa & in justa & iniqua sub prætextu ficta & corrupta consuetudinis licita* reputentur.

Consuetudinis prætextus.

Item multi suspicantur, quod hæc dissimulaverit *Ro. curia*, & super his *concilia* fieri *neglexerit*, ut posset ad suæ voluntatis libitum plenius dominari, & jura aliarum ecclesiarum liberius usurpare. Quod non assero esse verum. Sed quia contra eam hujusmodi laborat *infamia*, deberet ad eam purgandam super congregatione *conciliorum generalium & provincialium* providere. Alioqui, juxta dictum Augustini, *si famam suam negligit, crudelis est.*

Artificiũ antiquum Ro. curiæ in dissimulandis conciliis.

Concilia Apostolorum.

Item illa sanctissima *Ro. curia*, scil. Petri & Apostolorum, licet potuisset sine congregatione concilii, per epistolas, vel alias vias, causas & negotia ecclesiæ faciliter terminare, tamen legitur *quatuor concilia* celebrasse, sicut patet in *Actis* I. VI. XV & XXI. *cap.* Unde per hoc exemplum instructionis de *sæpe congregandis conciliis* suis posteris reliquerunt. Nam sicut Christi, sic & Apostolorum suorum actio nostra est instructio, juxta illud Apostoli; *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Item in *Decret. dist.* 15. *cap.* 1. dicit Isidorus: *Quod, quia ante tempora Constantini non erat episcopis licentia convenendi in unum*, scilicet publice per modum concilii generalis, *ideo Christianitas in diversas hæreses scissa sit.*

Neglectus conciliorum alimentum dissensionum.

Et ita dicere possumus modo, quod propter *defectum* celebrationis *conciliorum*, ecclesia in diversa *schismata*, & alia innumerabilia mala, forte etiam ad hæreses disponentia, proh dolor lapsa sit, sicut experientia docet.

Concilia sunto remedium dissidiorum.

Item, si *concilia sæpius celebrata* fuissent, verisimile est quod *hoc* nephandum *schisma* non tam diu perdurasset, nec forte *schisma Græcorum.* Unde hujusmodi schismatibus debuisset cito per *concilium generale* provideri. Ut in primitiva ecclesia docuerunt Apostoli, prout legitur *Actorum* VI. quod quia ortum murmur Græcorum adversus Hebræos &c. statim XII. apostoli ipsum convocata multitudine sedaverint. Similiter *Act.* XV. orta dissensione propter observantiam legalium, statim Paulus & Barnabas ascenderunt ad apostolos in Hierusalem.

Unde patet, quam damnabiliter peccaverint illi seu principes seu prælati, qui pro sedatione hujusmodi schismatis, *convocationem concilii neglexerunt aut impediverunt.*

Romana curia reformanda tempore Conciliiconst.

Item aliqui sunt *casus arduii necessario reformandi*, in quibus non potest commodius quàm *per generale concilium* provideri. Sicut patet primo de *reformatione Romanæ Curiæ*, quæ, ut infra dicetur, *necessaria* est. Et tamen non nisi *per Generale Concilium* fieri potest. Et ideo non debet Romana curia indignari, seu respuere, *à generali concilio reformari.* Sicut nec contempsit *à generali concilio* plures sui principatus honores recipere. Quia licet principaliter Romana ecclesia principatum habuerit à domino, tamen secundario *à concilio* [ut dicit *glossa dist.* XVII. *super cap.* VI.]

Papæ à conciliis dignitates nacti.

Tota Ecclesia emendanda in Concilio Const.

Item *reformatio totius corporis ecclesiæ* & particularis *ecclesiæ Ro.* est de arduis *pertinentibus ad fidem.* Nam ejus *generalis deformatio* non mediocriter fidem tangit, & per consequens ejus *reformatio.* Ideo in hoc *non debet Papa* aut ejus curia *deliberationem generalis concilii respuere.* Quia (sicut dicit *glossa dist.* XIX. *super cap.* IX.) Papa tenetur requirere concilium episcoporum, ubi agitur de fide. Quod non solum intelligo de articulis fidei, sed de arduis tangentibus universalem statum fidelis ecclesiæ. Quod notavit *Archid. dist.* XV. *in c.* 2. Ubi dictam glossam approbans addit: Quod *nimis periculosum esset fidem nostram committere arbitrio unius hominis.* Et idcirco Papa in casibus novis & arduis ad deliberationem concilii recurrere consuevit.

Papa concilium ne respuat.

Fides non pendet ab arbitrio unius.

Inconcilio agendum de bello contra Turcas.

Item duo sunt *arduissimi casus* fidem & fideles omnes mirabiliter & miserabiliter concernentes, quibus esset *per generale concilium* necessario providendum. Unus est de modo providendi contra Saracenos & alios infideles, fidem & Christianitatem impugnantes, ut nunc multo periculosius quàm à multis retroactis temporibus fecerunt, con-

Auguriũ de interitu imperii orientalis, illo mox seculo impletum.

contra ecclesiam catholicam insurgentes. Quibus si celeriter non obvietur, timendum est, ne *Constantinopolitanum imperium*, jam multipliciter ab eis laceratum & vexatum, *penitus destruatur*, ac deinde Ro. Imperium, jam divisum & penè ad ruinam præparatum, invadant, & sic ecclesiam destruant jam schismatice laceratam. Ut sic via præparetur adventui Antichristi, de quo prædixit Apostolus: *Nisi venerit dissensio primum* &c. Quod exponit glossa de duplici dissensione seu divisione, una ab imperio, alia ab ecclesia Rom. quæ prævenire debet Antichristum. Et utramque jam *præsentialiter* videre multi devoti fideles non immerito *pertimescunt*.

De Græcis cum Ro. Ecclesia conjungendis.

Alius casus est de modo providendi circa *Græcos*, ut *ad unitatem Ro. ecclesiæ reducantur*. Quod nunc maxime opportune fieri posse videtur, dum eorum Imperator inter Latinos degens, à Ro. ecclesia & dominis temporalibus, præcipue à Francorum rege, contra infideles cogitur auxilium & subsidium postulare.

De viis autem & modis circa dictos casus servandis scripserunt plures fidei zelatores. Et specialiter *frater Humbertus de Romanis, quondam magister Generalis ordinis Prædicatorum*, tractatum utilem composuit, ut super his provideretur *in concilio generali Lugdunensi* sub *Gregorio Papa X.* celebrando.

CAPUT II.

De Reformatione Capitis Ecclesiæ, sive Status Papalis & Romanæ olim curiæ. De Cardinalium selectu. De Exactionibus Johannis 23. De Excommunicationibus.

Ro. Curia emendanda tempore Concilii Const.

SEcunda consideratio est de his, quæ *reformanda* videntur *circa caput corporis ecclesiæ*, id est circa *statum Papæ & suæ Rom. curiæ.*

Abusus electionis papalis.

Et primo tollendus esset ille *detestabilis abusus*, à quo præsens *schisma originem traxit*, scilicet quod *una natio* sive regnum, aliquando ultra aliquando citra montes, in scandalum residuæ Christianitatis, ita diu *Papatum tenuit*, ut posset dicere: *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei.* Quod quàm detestabile sit, præcipue in papatu, ostendit ille qui ait: *In veritate comperi, quod non sit personarum acceptor Deus &c.*

Non ex una semper natione Papa eligendus.

Cardinales nõ sint unius nationis sed diversarum.

Item pro dicta provisione esset statuendum, quod de cætero *major pars Cardinalium non possit assumi de uno regno* sive de *una natione*: Sicut quandoque hactenus factum est, in magnum scandalum plurimorum: Sed ut de *diversis regnis* & *provinciis* indistincte *juxta personarum merita* assumantur. Quia sicut apud Deum, ita apud Dei ministros, non debet esse acceptio personarum.

Ex una provincia non nisi unus sit Cardinalis.

Et videretur sufficere, quod *de una provincia* solum esset *unus Cardinalis.* Ut sic in eorum promotione & multiplicatione tolleretur, vel saltem restringeretur & arctaretur *carnalis affectio promoventis*: Et ut per assumptos de diversis provinciis, diversitas morum & statuum earundem Romanæ ecclesiæ innotesceret, ad utilitatem & salutarem provisionem incolarum.

Electio Papæ vel vi vel metu facta.

Item quia una *causa præsentis schismatis fuit*, quod Cardinales nimis *tardaverint declarare* & fideles sufficienter informare, *quod primam electionem fecissent vi & metu*: Ideo ad tollendum, ne aliàs similis scandali detur occasio, expediens videretur *arctari aliquod tempus*, intra quod talis *exceptio metus* deberet allegari, & ultra quod nec illa ne alia exceptio contra Papæ electionem posset per Cardinales opponi. Et esset etiam per concilium declarandum, quis de hujus *metus causa* haberet cognoscere. Quia *Jo. Andr.* (*super Clemen. tit. 3. de elec.*) quærit: Quis de hujus causa metus cognoscere haberet, si allegaretur contra electionem Papæ? Et respondens dicit: Quod ista nondum decisa nec provisa egebunt provisione.

Item

Ecclesia Romana oneravit olim Ecclesias.

Item necessaria erit *reformatio* & provisio *circa gravamina, quæ Romana ecclesia infert aliis inferioribus ecclesiis & prælatis.* Et maxime in *tribus*, de quibus conqueritur præallegatus *frater Humbertus*, (in dicto tractatu suo *parte* II. *c.* XI. ubi dicit:) Quod *causa* dispositiva *schismatis Græcorum* inter alias una fuerit propter *gravamina Romanæ ecclesiæ in exactionibus, excommunicationibus, & statutis.*

Causa dissensionis Græcæ Ecclesiæ à Romana.

Graves in Ecclesia exactiones Pontificũ Romanorum.

De primo gravamine, & contra hanc *multitudinem* & magnitudinem *exactionum*, providendum esset tripliciter.

Primo, per *diminutionem pomposorum statuum & excessivarum expensarum.* Ut sic *Ro. ecclesia minus esset onerosa subjectis*, & ut etiam eis esset *exemplum humilitatis, & forma virtutis*; instar Christi, cujus ipsa vicariatum & à quo primatus honorem tenet, qui ait, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.*

Pompa Romani Pontificis nimia olim credita.

Secundo, per *diminutionem* & arctationem hujusmodi *exactionum*, scilicet, ut certa summa rationabilis determinaretur & limitaretur pro moderato statu Papæ & Cardinalium, subjectis ecclesiis imponenda, & per diœceses proportionabiliter distribuenda, & à diœcesanis recolligenda, & in certis terminis solvenda Romanæ curiæ, ultra quam summam *nova exactio* non posset imponi, sine autoritate & consensu generalis concilii.

Decor Ro. Ecclesiæ. Exactiones Papales minuendæ per Conc. Const.

Cardinalium numerũ minui quæsitum in Conc. Const.

Tertio, per *diminutionem numeri Cardinalium*, ita ut non esset tantus nec tam onerosus numerus ipsorum, sicut hactenus fuit. Ne Romanæ curiæ dici posset, *Multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiam.*

Officia Ecclesiastica non in uno viro cumulanda.

Item circa *statum Cardinalium & aliorum ecclesiasticorum* providendum esset, ut deinceps non tenerent illam monstrosam & multipliciter scandalosam *beneficiorum multitudinem.* De quo *abusu* antiqui sapientes conquesti sunt. Sicut *Guilhelmus Episcopus Parisiensis* in speciali tractatu, quem de hoc composuit: Et *Cantor Parisiensis in Verbo abbreviato*: Et *Autor De virtutibus & vitiis, c. de signis avaritiæ ecclesiasticorum.* Quorum rationes expediret diligenter examinare, & *pro sedatione conscientiarum*, quid super hac re tenendum sit, declarare.

Abusus functionũ sacrarũ.

De secundo gravamine supra tacto, scilicet de *multiplicatione excommunicationum*, & ex consequenti irregularitatum, quas Ro. ecclesia in suis constitutionibus pœnalibus, & maxime in quibusdam novis decretalibus imposuit, & sæpe per suos *collectores* in multorum scandalum fulminavit, & ad cujus exemplum alii prælati leviter & pro levibus causis, ut pro debitis, vel hujusmodi, pauperes excommunicatione crudeliter percutiunt, necesse est providere, cum hoc sit contra jura, (ut XI. *quæst.* III. *cap.* XLII.) Nam gladius ecclesiæ, scilicet *excommunicatio*, qui in primitiva ecclesia, veneranda raritate erat formidabilis, jam propter abusum contrarium, *contemptibilis* effectus est. Sicut ostendit doctor subtilis *Joannes Scoti* (*super quarto Sententiarum di.* XVIII.) Qui tamen contemptus valde periculosus est. Quia *excommunicatio major*, quæ *anathema* dicitur, æternæ est mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & illis qui aliter non potuerunt corrigi: ut habetur XI. *q.* III. *cap.* XLI. Cui concordat *glossa Extrav. de verbor. signif. ex parte.*

Excommunicationes papales nimis cumulatæ, in Concil. Const. restringendæ.

Collectores redituum Papalium olim importuni.

Excommunicationes Papales olim spretæ.

De tertio gravamine Romanæ ecclesiæ, quod imponit aliis in onerosa *multitudine statutorum, canonum, & decretalium*, & maxime illorum, quæ videntur *ad graves pœnas*, & præcipue *ad mortales culpas* obligare. Et eadem ratione de similibus statutis aut *constitutionibus synodalibus prælatorum* providendum erit de rationabili *alleviatione* hujusmodi *onerum.* Ne de *prælatis ecclesiæ* verificetur, quod de pharisæis & sacerdotibus synagogæ à Christo improperando dictum est: *Imponunt onera gravia & importabilia humeris hominum, digito autem nolunt ea movere.*

Oneratæ olim Ecclesiæ statutorũ, canonũ & decretalium papaliũ numero.

Constitutiones Synodales temperandæ.

Item super quibusdam aliis gravaminibus, per Ro. ecclesiam aliis prælatis & ecclesiis superinductis, adhibenda erit provisio, scilicet super *collationibus beneficiorum & electionibus dignitatum.*

Onus Ecclesiæ ex papali functionũ collatione.

Similiter super *concessionibus exemptionum*, quas Ro. ecclesia pluribus religionibus, abbatibus, & conventibus, ac capitu-

Exemptiones papales Ecclesiis olim molestæ.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

capitulis in præjudicium prælatorum concessit. De quibus jam olim plures devoti ecclesiæ zelatores conquesti sunt, sicut beatus *Bernhardus* in libro *ad Eugenium Papam* & alii.

Officiariorum Romanensiũ quæsita prærogativa.

Similiter de pluribus aliis honoribus, reverentiis, & præeminentiis, quas quidem *officiarii Romanæ curiæ* super alios prælatos usurpaverunt: Et multis eorum particularibus *excessibus*, de quibus longum esset per singula discutere, perutilis & necessaria erit provisio.

Petrus de Alliaco scripsit de Ecclesiastica potestate.

Hic autem *propter* dictos *excessus* dudum quandam opinionem recitavi, quam nuper in tractatu *De ecclesiastica potestate* tanquam erroneam reprobandam esse declaravi, videlicet, quorundam detractorum Ro. ecclesiæ, qui in ejus odium, prætextu quorundam abusuum, *statum Cardinalium*, quasi inutilem vel damnosum, nec ab Apostolis vel conciliis institutum, & sine causa rationabili usurpatum, tanquam onerosum ecclesiæ, *extirpandum esse* dixerunt, sicut olim de statu *Chorepiscoporum* factum esse legitur: (68. *di. c.* 5.)

In Concilio Const. urgebatur, Cardinales esse abolendos, sicut Chorepiscopi olim sublati.

Hunc autem errorem *in hac synodo Constantiensi* quodammodo resuscitare aliqui præsumpserunt. Qui utinam attenderent juxta doctrinam Christi, prius trabem de oculo suo ejicere, quàm festucam de oculo fratrum imò patrum suorum. Utinam attenderent, statum Episcoporum & aliorum Prælatorum, cæterorumque ecclesiasticorum, ac etiam laicorum, innumeris abusibus & vitiis deformatum: *Nec* tamen *ideo* hujusmodi *status* dissipandos esse atque *perdendos.* Quoniam in multis offendimus omnes. Sed *vitium atque abusus corrigi debet* & non status destrui, vel debitis juribus defraudari. Sicut boni medici officium est, ab infirmo morbum tollere, & non infirmum corpus destruere.

Non tollendos esse sed emendandos Cardinales, monet autor Cardinalis.

Non status delendo sed vitia corrigenda.

Utinam denique considerarent, qualiter domini *Cardinales pro reformatione Romanæ ecclesiæ* ac status ipsorum se effectualiter *paratiores* obtulerint quàm quicunque alii cujuscunque status. Imò *plura membra ecclesiæ* huic *suæ reformationi* restiterunt, cum tamen *reformationem capitis* importune peterent.

Cardinales, in quibus noster de Alliaco, promptiores ad reformãdam Ecclesiam in Concilio Const. quã reliqui.

Quia ergo Ro. ecclesia *in capite & membris suis* se cum ratione temperare studuit, justum est, ut subditæ ecclesiæ eidem suoque regimini rationabiliter obtemperare & subesse debeant, juxta verbum Senecæ: *Multos reges, si ratio te rexerit.*

CAP. III.

De Reformatione majorum Prælatorum. De Episcoporum scientia & virtutibus. De visitatione in Conciliis provincialibus.

Prælatorũ reformatio in Concil. Const. quæsita.

TErtia consideratio erit de *reformatione Ecclesiæ* circa *partes ejus principales*, scilicet, *majores Prælatos.*

Episcopi sint graves & docti.

Unde providendum erit, ut tales eligantur, qui *non sint juvenes, indiscreti*, aut *immorigerati*, aut carnales, spiritualium *ignari*, sed graves ætate & moribus, eminentes spirituali *scientia* & *doctrina*, qui in suis rebus non sint strenui, & in ecclesiasticis remissi, nec *propria* magis quàm *communia jura* procurent, qui angarias & impositiones vel hujusmodi *gravamina* subjectis non imponant, qui per singulos annos *parochiae suas* cum fructuoso affectu *visitent*, qui potentes & tyrannos populi oppressores arguant & corripiant, qui *divinis scripturis studeant*, & non *scientiis* practicis & *litigiosis* totaliter inhæreant, qui verbis aut ludis joculatorum & mimorum, aut publicis spectaculis vel superfluis conviviis non delectentur, sed *moderato habitu* & *temperato victu* contenti etiam *in mensa lectioni divinarum scripturarum* intendant: & ut brevius dicam, in omnibus tales sint, ut cæteris sint *fidelibus* in *exemplum*: Sicut & esse tenentur, cum illis in officio succedant, qaibus à Christo dictum est, *Vos estis lux mundi, & vos estis sal terræ* &c. & multa similia.

Charactères bonorum Prælatorum.

Item ut tales ad *prælaturas* assumerentur,

Electionē præcedāt examina, ut digni promoveantur.

rentur, & non *indigni* & *insufficientes*, providendum esset, ut *electiones prælatorum* non faciliter aut leviter, sed cum diligenti & gravi *examinatione* confirmarentur, etiamsi nullus se opponeret. Quia non sufficit bono patrifamilias constituenti custodem thesauri sui, quod nihil mali sibi de illo opponatur, nisi etiam ipse aliis tacentibus de ejus *idoneitate* diligenter inquirat.

Episcopi titulares.

Item quia stultum esset, patremfamilias *thesaurarium* facere *sine thesauro*, sic similiter facere *episcopum sine subjecto populo.* Sicut sæpe fecit *Romana abusio* in contemptum status episcopalis, de quibusdam solum *titulatis episcopis* mendicantibus & girovagis.

Item quia *mali prælati raro* de suis excessibus *corriguntur:* Quia *non cito* etiam contra notorie malos *profertur sententia*, sed per multos annos *differtur*, & sæpe eorum *punitio* totaliter *negligitur:* Idcirco absque timore mala perpetrant, & plerique eorum, suspensionis, excommunicationis, irregularitatis, ac alias juris pœnas contemnunt: Ideo providendum erit, ut circa talia *visitatio* & *inquisitio* fiat. Ut talium vita & fama *in provincialibus conciliis*, vel si opus sit quandoque *in generali concilio*, summo pontifici referantur, & ad eorum depositionem seu aliam condignam correctionem procedatur.

Episcoporum Visitatio in provincialibus conciliis.

Et licet hodie concilium non deponat vel restituat episcopos, sed solus Papa (*ut* II. *q.* VI. *c.* X., sicut notat *glo.* XI. *q.* III. *cap.* LXV. super verbo *synodo.*) Tamen forte nunc expediret *ad antiquum morem* illius capituli *reverti*, ut à *generali synodo* damnarentur vel absolverentur episcopi, vel saltem ut hoc fieret *in præsentia synodi*, ut sic magis cessarent *inordinatæ affectiones*, quæ solent in talibus justam sententiam impedire. Item si non placet servare illum *antiquum rigorem* Carthaginensis concilii quarti, ut *Episcopus vilem supellectilem, & mensam ac victum pauperem habeat*, & dignitatis suæ *autoritatem fide, opere & vitæ meritis quærat:* Saltem placeat moderari, ut *excessiva pompa* prælatorum, in vestibus, ornamentis, familiaribus, equis, conviviis, & ferculis, *ad congruam temperantiam* restringantur: ut *expensæ* in talibus *superfluæ*, sicut fieri debet pauperum necessitatibus applicentur.

Episcopi in generali concilio absolvendi aut damnandi.

Nimia Episcoporū pompa per Concil. Const. moderanda.

Ab armis abstinendum Episcopis.

Item tollatur monstrosus ille *abusus*, quo quidam Prælatorum, armis spiritualibus depositis, *arma* corporalia assumunt, in campis pugnantes, sicut principes seculares, & sæpe cum oppressione pauperum, & crudeli effusione sanguinis, cum tamen David ab ædificatione templi, quia vir sangvinum erat, prohibitus sit.

Ab Ecclesiis suis ne diu absint Episcopi.

Item si non placet servare illum juris rigorem, quod *non liceat Episcopis à sua ecclesia plus tribus hebdomadis abesse*, saltem provideatur, ut sine speciali licentia & rationabili causa *diu ecclesias* suas in præjudicium animarum *non deserant.* Sicut hodie multi *prælati* faciunt, & quod monstruosius est, *religiosi* & *monachi*, qui plus sunt *officiales fisci* quàm *Christi*, in curiis principum, & cathedris judiciorum, in cameris computorum, & aliis actibus secularibus, militantes, contra statuta canonum, ut XI. *q.* I. *c.* XXIX. cum suis similibus.

Monachi officiales fisci.

Synodorū finis non sit repletio bursarū, sed correctio morum.

Item providendum erit, ut *Prælati* in suis *synodis*, & eorum officiales in suis curiis, non ad *repletionem bursarum* intendant, sed ad *correctionem vitiorum*, *emendationem morum*, & ædificationem animarum. Et ut *exactiones pro sigillis & literis* moderentur, & *pœnæ pecuniariæ* vel tollantur vel temperentur, aut in totum vel partem *ad pios usus* notorie applicentur, & ut *pœna excommunicationis* non leviter, ut supra tactum est, feratur: Et ut *litium prolixitates*, quæ pauperes spoliant, & multos de suæ justitiæ prosecutione desperare faciunt, modis congruis *rescindantur:* Et quorundam *advocatorum* & procuratorum *insolentia* intolerabilis reprimatur.

Pœnæ pecuniariæ moderandæ.

Litium prolixitas vitanda.

Advocatorum insolentia reprimenda.

Item si *obstante consuetudine* non placet servare illam rigorosam regulam *contra simoniam* jure humano impositam, ut nihil *pro ordinatione aut pallio* detur aut accipiatur, ut habetur *c.* V.

Simoniæ genus.

Sumptus pro ordinatione moderandi.

Declaratio necessaria ad palliandā simoniam.

epistolæ tertiæ Gregorii Papæ, & multa alia, quæ scribuntur in antiquis juribus: Saltem super his esset aliqua *moderatio* adhibenda, & pro conscientiarum sedatione etiam multitudini errantium pie *condescendendo* aliqua *declaratio* facienda. Juxta illud *Nicolai Papæ*, qui præsidens synodo Constantinopolitanæ dixit: *Quia ergo usque adeo verenda simoniaca pernicies hactenus inolevit, ut vix aliqua ecclesia valeat reperiri, quæ hoc morbo non sit aliqua ex parte corrupta, tanta talium multitudo est, ut dum rigorem canonici juris super eos servare non possumus, necesse sit ut dispensatorie ad pie condescensionis studium animos nostros ad præsens inclinemus, à simoniacis consecratos in acceptis ordinibus manere permittentes. Hoc enim temporis nimia necessitas permittendum à nobis extorsit &c.*

Permittendi sumptus pro distributione graduū.

Similiter eadem vel majori ratione *permissio & condescensio* facienda esset super pluribus aliis juribus & constitutionibus, quæ communiter in scandalum plurimorum non servantur. Ut verbi gratia: Quod *nihil omnino liceat accipere* in distributione graduum, ordinum administratione vel sacramentorum, vel sepulturarum, aut hujusmodi spiritualium vel spiritualibus annexorum.

Consilia pro religiosis.

Quod non liceat quemcunque episcopum vel clericum die dominico absentem esse servitiorum solenniis, quod clerici ad matutinum & vespertinum officia venire teneantur, quod non liceat clericis ante tertiam horam prandere, quod *nullus sacerdotum* à quinquagesima usque ad pascha *carnes comedat*, quod sacerdotes adventum ejunent. Et sic de multis aliis similibus, de quibus videretur expediens declarare, quod *non* essent *præcepta* sed *consilia*.

Jejunium quadragesimale temperādum.

Et similiter de observantia *jejunii quadragesimalis*, quantum ad aliquas personas, & quo ad aliquas circumstantias esset *moderatio* adhibenda.

Prolixitas sacrorum.

Item quia prælatis *de divino cultu* specialis cura esse debet, circa hujusmodi *reformationem*, quæ necessaria est, providendum esset, ut *in divino servitio non tam onerosa prolixitas*, quàm *devota* & *integra brevitas* servaretur: Ut in ecclesiis *non* tam magna *imaginum & picturarum varietas* multiplicaretur: Ut *non tot nova festa solennizarentur*: Ut *non novæ ecclesiæ ædificarentur, ut non tot novi sancti canonizarentur*: Ut, præterquam diebus dominicis, & in majoribus festis ab ecclesia institutis, *liceret operari post auditum officium*, cum, quia in festis sæpe magis multiplicantur peccata, in tabernis, in choreis, & aliis lasciviis, quas docet ociositas, tum, quia dies operabiles vix sufficiunt pauperibus ad vitæ necessaria procuranda.

Picturæ templorū.

Nova festa.

Nova templa.

Novi sancti.

In festis sanctorū post rem divinam redeundū ad labores.

Ut in hujusmodi *festis* scripturæ apocryphæ, aut *hymni novi*, vel orationes, seu aliæ voluntariæ novitates non legerentur, omissis antiquis, & autenticis, & jam in ecclesia consvetis.

Ineptiæ recentiorum non legendæ in templis.

Et ut generaliter omnis *novitas* & *varietas*, ac usuum diversitas in horis ac aliis *divinis servitiis*, quantum fieri posset, vitaretur, juxta decretum Toletani concilii XI. de quo XII. *dist. c.* XIII. *Et multa* alia *utilia* essent per prælatorum diligentiam providenda, quæ per singula discutere longum esset.

Novitas vel varietas in sacris.

CAPUT IV.

De Reformatione status Religiosorum ac Monachorum & Monialium.

Monachorum ordines nimis multi ante Concil. Const.

QUarta consideratio erit de his quæ *reformanda essent* circa *statum religiosorum*.

Et primo videtur quod tanta *religiosorum numerositas* & *varietas* non expediat, quæ *inducit ad varietatem morum*, & quandoque ad contrarietatem & repugnantiam observationum, & sæpe ad singularitatem & ad *superbiam* & vanam extollentiam unius status super alium.

Monachi

Et maxime videtur necessarium, ut diminu-

ordinis mendicantium onerosi Ecclesiæ & reipublicæ.

diminuerentur *religiones ordinum mendicantium.* Quia tot sunt & in numero conventuum & in numero suppositorum, ut *eorum status sit onerosius hominibus, damnosius* leprosoriis & *hospitalibus*, ac aliis *vere pauperibus* & miserabilibus indigentibus, quibus convenit jus & *verus titulus mendicandi*, ipsis quoque curatis parochialibus, &, si bene consideretur, etiam *præjudicialis omnibus ecclesiæ statibus*, & specialiter hujusmodi religiosis *intolerabilis*, & eorum religiosæ professioni contrarius, & maxime in multiplicatione *magistrorum bullatorum*, & sæpe *indignorum*, ipsis religionibus onerosorum. De qua materia & eorum variis excessibus pauca loquor: Quia sunt plures doctores, qui de hoc abunde scripserunt.

Magistrorum bullatorum copia ante Concil. Const.

Monachi Quæstores, qui reliquias sanctorũ circumferebant.

Item providendum esset super correctione *Quæstuariorum prædicantium*, sive religiosorum secularium. Quoniam suis *mendaciis* maculant ecclesiam, & eam irrisibilem reddunt, & officium prædicationis maxime honorandum jam contemptibile efficiunt.

Prædicatio quæstuaria reprehensa.

Unde *prædicatio*, quæ propter sui reverentiam ad prælatos pertinet, non esset tot & talibus vilibus *quæstuariis & mendicantibus* permittenda.

Monachis in claustris manendũ. Studiosi Facultatis litium olim plures Theologis. Theologi in Ro. curia olim cõtempti. Theologi prisci. Baritatores novi.

Item cum in Chalcedonensi concilio statutum sit, ut habetur XVI. *q.* I. XII. ut *monachi tantummodo intenti sint jejuniis & orationibus*, in locis ubi renunciaverunt seculo remanentes, nec ecclesiasticis nec secularibus negotiis propria monasteria deserendo insistant: Providendum esset, ut ne ipsi etiam occasione studii claustra relinquerent: Vel saltem moderandum, quod *solum ratione studii Theologiæ.* Cum *nimis multi seculares hodie studeant in litium facultate*; Ipsa quoque Theologia in statu secularium paucos habeat sectatores, *propter abusum Romanæ curiæ*, *quæ Theologos contempsit*, & in omni ecclesiastico gradu *lucrativarum scientiarum studiosos* præposuit. Cum tamen *primitivi Theologi* ecclesiam ædificaverint, quam aliqui *baratratores* destruxerunt, & nunc eam quasi ad extremam ruinam deducere videntur. Adeo ut jam horrendum quorundam proverbium sit: *Ad hunc statum venisse ecclesiam, ut non sit digna regi, nisi per reprobos.*

Eccl. regimen.

Religiones militares reformandæ.

Item nunc maxime opus esset ad obviandum insultibus infidelium, ut *reformarentur religiones militares*, & ad servandum fidem, mores, & patrum regulas, & ad priores institutiones cogerentur.

Monialium claustra perpurgandæ.

Item circa *claustra monialium*, quæ jam proh dolor ultra quàm dicere audeam, dehonestata sunt, esset *correctio* adhibenda. Et inter alias provisiones hoc videretur expediens, ut nulla *religio mulierum* sustineretur, nisi tales haberent reditus, unde possent sufficienter sustentari in *suis domibus reclusæ*, sine mendicitate & discursu.

Et ut de eorum ecclesiis, seu quorumcunque aliorum *religiosorum monasteriis*, vel prioratibus, vel domibus, vel spiritualiter in moribus destructis, vel in rebus temporaliter desolatis, fieret applicatio ad alia claustra, in quibus religio servaretur. Ut per talem religiosarum domorum unionem *superflua numerositas religionum* restringeretur, & residua paucitas bonorum & devotorum commodius sustentaretur.

Victus in monasteriis limitatus.

Item in *monasteriis* esset inviolabiliter observandum, ut nullus nisi infirmus, aut debilis, aut hospes, *comederet extra refectorium.* Quia experientia docet, quod ubi hoc servaretur aliæ religionis observantiæ tenerentur facilius.

Jura aliorum monachi ne occupent.

Item pro *serenandis conscientiis* devotorum *religiosorum*, summopere cavendum est eis, *ne à principibus* aut aliis, reditus suos aut alia ad ipsorum sustentationem pertinentia, *procurent* ex injustis exactionibus, aut quomodolibet illicite acquisitis: *Ne* etiam *jura prælatorum*, ecclesiarum, & sacerdotum parochialium indebite *occupent*, sive in decimis sive in aliis proventibus ecclesiasticis. Ne etiam in præjudicium ordinariorum ab eorum subjectione, juri divino consona, & in Chalcedonensi concilio sanctorum patrum decreto firmata, ut patet XVI. *quæst.* I. *cap.* XII. per importunam humanorum privilegiorum impetrationem, &

& violentam exemptionem, damnabiliter se subducant. Nam secundum aliquos, non est mediocriter dubitandum, an tales sint in statu salvandorum, ut patet ex deductione *Cantoris Parisiensis in Verbo abbreviato, capitulo* XXXVII.

Benedictinorum rigor emolliendus.

Item in quibusdam religionibus devotis, quæ regulæ beati *Benedicti* rigorem superaddunt in *prolixitate vigiliarum & orationum*, & *austeritate jejuniorum* & abstinentiarum, & aliis variis *observantiis afflictivis*, videretur providendum de *discreta moderatione*, & maxime circa infirmos, ut salva Christi lege nihil eis quod discreti medici consuluerint negaretur, sive in esu carnium, sive in aliis quibuscunque commoditatibus, humanæ fragilitati & naturali indigentiæ opportunis. Alioquin non dixisset Christus, *Non est opus sanis medico*, si non concessisset opus esse infirmis medicorum consilio.

Caput V.

De Reformatione inferiorum Ecclesiasticorum.

De eorum scientia & moribus. De gradibus Academicis. Deque Ecclesiarum Bibliothecis.

Quinta consideratio erit de his, quæ *reformanda* sunt *circa statum* inferiorum *ecclesiarum & ecclesiasticorum virorum.*

Digni ad officia sacra promovendi. Docti & bene meriti.

Et primo generaliter est providendum, ut *in ecclesiasticis benefi. iis* juxta eorum eminentias ponantur *personæ bene meritæ. Ut non præferantur fatui & ignari scientificis & sapientibus*, nec juvenes senibus, nec illis de una patria quorum vita & conversatio nota est & probata, aliqui extranei & alieni in moribus, lingvis, & consuetudinibus: Nec potentes aut nobiles pueri clericis probatis & famosis doctrina atque moribus: Nec advocati aut *intenti scientiis lucrativis*, vel curiales, aut dominorum temporalium servitores, sacræ scripturæ doctoribus. Sicut à multis jam retroactis temporibus *Romana curia* facere consuevit.

Prava consvetudo Ro. curiæ in promotionibus.

Et ideo erit expediens, ut Ordinarii, qui in suis locis *habere* possunt & debent *bene meritarum notitiam personarum*, juxta earum *merita* beneficia conferant. Vel saltem ut eorum *collatio* non omnino tollatur, ita tamen, quod, ut obvietur eorum abusibus, potestas ordinaria limitetur. Verbi gratia, ut non possint dignitates & beneficia majora conferre, nisi *doctoribus in Theologia*, vel *in jure*, quandocunque in suis vel propinquis diœcesibus erunt aliqui hujusmodi: Ut non possint etiam nisi *graduatis* vel *nobilibus*, vel aliâs *bene meritis* conferre curas, personatus vel alia beneficia valoris centum librarum vel ultra in portatis.

Digna munerũ sacrorum distributio.

Et ita de multis similibus provisionibus. Per quas & *digni promoverentur*, & multi *nobiles* & *ingeniosi ad studium literarum provocarentur*, & *universitates studiorum florerent*, &, quod valde optandum est, importunæ & violentæ preces dominorum temporalium pro indignis cessarent. Quæ hodie quàm periculose fiant, docet experientia.

Hæc autem quæ de *graduatis* dicta sunt, per modum exempli ponuntur, quæ etiam moderari possunt & alia addi, ad provisionem aliorum sufficientium, licet non graduatorum.

Academiarum reformatio.

Item providendum esset, ut *Universitates studiorum reformarentur*, & per prælatos scientificos visitarentur: Ut *gradus distribuerentur dignis*, sine favore aut acceptatione personarum, & cum rigore *examinis in scientia & moribus*: Ut doctrinæ utiles, *resecatis superfluis aut minus utilibus*, legerentur: Ut institutores *Rhetoricæ & linguarum Græcæ & Latinæ*, quarum ignorantia multipliciter Ecclesiæ damnosa est, haberentur: Et ut aliis studiosis actibus, reipublicæ tam spirituali quàm temporali utilibus, juvenum ingenia exercerentur.

Gradus Academici diligenter conferendi. Lectiones Academicæ. Linguarum studium in Academiis.

Item adhibenda esset *correctio* circa *mores ecclesiasticorum*, qui jam nimis proh dolor

Mores Ecclesiasticorum corrupti.

dolor sunt *corrupti*, ira, gula, luxuria, pompa, prodigalitate, otio, & aliis vitiorum generibus. Quod cedit in grave laicorum scandalum. Et maxime obviandum esset illi *scandalosissimæ consuetudini*, seu potius corruptelæ, qua plures hodie non verentur tenere publice *concubinas*. Et quia adversus eos pœnæ juris, suspensionis, excommunicationis, irregularitatis non proficiunt, contra tales in hac vel aliis inhonestatibus publicis *incorrigibiles*, haberet locum pœna *depositionis ab officio* & beneficio.

Concubinæ Ecclesiasticis olim permissæ.

Archidiaconi Episcopis juncti.

Item quia *Archidiaconi* ab ecclesia instituti sunt ut serviant Episcopis, ut habetur originaliter *Actuum sexto*, & specialius declarantur eorum officia, *decima tertia distinct. quasi per totum*: Ideo providendum erit, ut *debita officia exerceant*, vel cum sint *ecclesiæ onerosi*, penitus extirpentur, sicut supra de *Chorepiscopis* dictum est.

Sacerdotum magnus numerus.

Item quia dicit *Hieronymus*: *Pauci sacerdotes, multi sacerdotes: pauci merito, multi numero*: Ideo contra hanc scandalosam *multitudinem* esset summopere obviandum, per hoc, quod non *promoverentur*, nisi *digni* & *bene morigerati*, habentes scientiam ligandi & solvendi, & intelligentiam divini servitii.

Ignorantia sacerdotũ ante Concil. Const.

Item ad obviandum *ignorantiæ sacerdotum* jam promotorum, in ecclesiis cathedralibus & notabilibus collegiatis essent *scribendi* aliqui *breves tractatus*, & etiam in synodis publicandi, tam in Latino quàm in vulgari, super instructione necessaria de virtutibus & vitiis, de articulis fidei, de sacramentis, de modo confessionis & hujusmodi.

Institutiones Theologicæ.

Lectores Theologiæ in Ecclesiis.

Similiter in hujusmodi ecclesiis deberet esse aliquis *lector Theologiæ*, qui legeret secundum & tertium & quartum Sententiarum, vel, recipiendo utiliores materias dictorum librorum, eas sub brevitate applicaret ad expositionem & intelligentiam epistolarum & evangeliorum, quæ in ecclesia per anni circulum recitantur.

Bibliothecæ ecclesiarum.

Conciliorum generalium Tomi asservandi.

Similiter in dictis ecclesiis, & maxime in metropolitanis, deberent esse notabiles *libraria Theologiæ, & juris canonici*, ac *librorum moralium*, & maxime, ut *magnus liber conciliorum generalium*, qui jam rarus est, licet sit perutilis & necessarius, à metropolitanis in magnis ecclesiis procuraretur.

Appellationes inferiorum.

Item quia correctio subditorum sæpe per eorum *appellationes* impeditur, & datur peccandi audacia, etiam circa eas adhibenda *moderatio*, ne in earum nimis facili receptione & admissione inferiores prælati à Metropolitanis vel Romana curia in ordinaria executione justitiæ gravarentur. Sicut jam dudum beatus *Bernhardus* conquerebatur in *libro de consideratione ad Eugenium papam*. Qui *liber* in hoc & aliis multis *pro reformatione ecclesiæ* non mediocriter *utilis*, sicut & plures ejus libri & epistolæ.

CAPUT VI.

De Reformatione Laicorum Christianorum.

De Principum in Ecclesiam reformandam studio atque obligatione.

SExta & ultima consideratio erit de *reformandis* circa *statum laicorum Christianorum*, & maxime *Principum*, à quorum moribus dependet morigeratio populorum. Quia, ut dicit poëta:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Et iterum,

Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Princeps regula subditorum.

Et ideo provideant *Principes Christiani*, ut *titulum* suæ *Christianitatis*, quem *verbo* confitentur, *opere* non negent contra Christi doctrinam, & per vias ei contrarias, in conspectu sui populi *corruptis moribus* incedentes, suis malis exemplis mores subditorum corrumpant.

Principum filii literis imbuendi.

Item, ut *liberos* suos in bonis operibus ac moribus, & in *literarum scientiis* informari faciant.

Aulicorum characteres.

Item, ut non solum à se, sed à suis familiaribus & domesticis, *superfluam* & superbam *vanitatem, avaritiam,* & *tyrannidem* abjiciant.

Subditis bonæ leges dandæ.

Item, ut *populum* ipsis *subjectum* bonis moribus *ædificare* studeant, eos à luxuria, avaritia, otio, & à cunctis *vitiis* reipublicæ contrariis *retrahant,* & specialiter à dei & sanctorum blasphemia, quæ sæpe in juramentis & *perjuriis* committitur, arceant.

Pravæ consuetudines in plebe.

Item, ut *malas consvetudines,* juri divino & humano contrarias, in suis subjectis per consilium Theologorum & aliorum prudentum repellant.

Superstitio plebis.

Item, ut *artes magicas* & alias *superstitiones* divina lege damnatas, & omnes errores & hæreses fidei contrarias, diligentius evellant & destruant.

Principes reformãdæ Ecclesiæ invigilent.

Item, ut ad fidei exaltationem, divini cultus honorem, *ecclesiæ reformationem,* invigilent ad ea quæ superius & inferius pro hujusmodi *reformatione* notata sunt, & alia quæcunque utilia diligenter laborent.

Ecclesias vindicent.

Item ut zelo justitiæ contra *persecutores & oppressores ecclesiæ, pauperum, & debilium* excandescant, & eorum injurias *propulsare* non tardent.

Vicinis quoque & *peregrinis* fidem catholicæ fraternitatis observent.

Turcos propellant.

Item contra *Saracenos* & alios fidei adversarios potenter insurgant, & nunc dum maxime opus est, *post* unitam *& reformatam ecclesiam,* infidelium insultibus viriliter se opponant, ac propter hoc guerras & bella, quæ jam proh dolor & in imperio & in regnis Christianis in contumeliam Christiani nominis crudeliter sæviunt, misericorditer compescant, & ad Christianam *pacem & unionem* reducant. Alioqui infallibiliter verificabitur verbum Christi, *Omne regnum in se divisum desolabitur.*

Judæorum quæstum non tolerent.

Item, ut *Judæis* propter vilem quæstum non faveant, eos scilicet inter subditos suos morari permittendo, nisi vel Christianis serviendo, agros colendo, vel aliâs mechanice laborando, & non usuras damnabiles in damnum Christianorum exercendo.

Item ut *Judæorum conversorum* bona non rapiant, sed ad vitæ necessitatem eis possidere permittant, ne egestate compulsi apostatent, & Christianos impietatis arguant.

Judæos conversos bonis exui ne permittant.

Item multa alia essent *per Principes* cum *generali concilio* Ecclesiæ circa statum Christiani populi *reformanda.* Quæ si impediant, imò si ea diligenter non promoveant, timendum est eis, ne contra ipsos manus domini, prout jam incipit, gladium sui furoris exerceat.

Reges & principes ad Concilia generalia veniant.

Item propter præmissa expedit, ut *Reges & Principes mittant ad generalia concilia,* non ad onerandum & confundendum, sed ad honorandum, & confortandam ecclesiam, & ad ea quæ ibi decreta fuerint, quantum in eis est, exequendum.

Divisio conciliorum generalium per nationes improbatur.

Item quia juxta evangelicam sententiam, quam etiam experientia rerum magistra docet, *inter Reges gentium & Principes seculi sæpe fit contentio,* quis eorum videatur esse major, quam contentionem Christus inter discipulos suos vitari docuit: Ideo non videtur expediens, ut de cætero *in generalibus conciliis* pro deliberando ad partem super rebus gerendis fiat *divisio per nationes* vel regna: Quia talis modus dividendi magis est secularis quàm ecclesiasticus, & ad contentiones de majoritate vel superioritate dispositivus: Sed juxta ecclesiasticas sanctiones & sanctorum patrum observantias, magis videtur esse procedendum *per provincias* ecclesiastico more distinctas.

Divis. per provincias præfertur.

Tamen quia hujusmodi *provinciæ* valde inæqualiter sunt divisæ in diversis mundi regionibus, ideo expediens videretur hanc moderationem observari, ut *ad constituendam provinciam in concilio generali* non sufficeret minor numerus quàm XII. notabilium personarum: Quarum *sex* ad minus essent prælati vel ambasiatores regum, principum, vel universitatum generalium studiorum, aut doctores in Theologia vel in jure, & illorum sex ad minus duo essent episcopi, non titulares aut girovagi, alii vero *sex* sint in minoribus dignitatibus ecclesiasticis constituti, vel in aliqua facultate graduati.

Membra conciliorum generalium quæ eligenda videantur.

Quando vero in aliqua provincia non

non esset talis numerus aut talium personarum, ut suppleretur de aliis vicinis provinciis, & constitueretur una ex pluribus, quæ denominaretur ab illa, cujus ibi essent plura aut notabiliora supposita.

Concilia provincialia generalibus præmittenda.

Et ut hujusmodi *personarum electio* fieret in *conciliis provincialibus*, *generale concilium præcedentibus*. Et ibidem ordinaretur de stipendiis, pro *expensis* & sumptibus eorundem, per modum *subsidii charitativi*, ecclesiastico more & non seculari autoritate vel potestate imponendi & exequendi.

Principes ad instituendam Ecclesiæ reformationem invitandi.

Item quia *ecclesia non potest principes ad prædicta reformanda temporaliter cogere*, expediens erit, ut *per generale concilium* ipsos ad ea *monitis* salutaribus exhortetur. Ut sic faciendo quod in se est, apud summum judicem excusetur. Nec solum opus erit exhortatoriis verbis, sed etiam bonorum *morum* & *in melius reformatorum* actuum exemplis. Quia *plus movent exempla quàm verba*. Ideo cœpit Jesus *facere* & *docere*.

Ecclesiastici omnis corruptionis origo.

Unde nihil est quod tam efficaciter possit sive ad bonum sive ad malum principes & alios laicos inducere, sicut *facta exemplaria ecclesiasticorum*. Ideo exemplaria Ecclesiasticorum sunt necessaria. Ideo super illud *Matthei*. XXI. & *intravit Jesus in templum* &c. dicit *Chrysostomus*: *Sicut de templo omne bonum egreditur, ita de templo omne malum procedit. Si enim sacerdotium integrum fuerit, tota ecclesia floret, Si autem corruptum fuerit, omnium fides & virtus marcida est.* Sicut cum vides arborem pallentibus foliis, intelligas quod vitium habeat in radice: Sic cum videris *populum indisciplinatum*, sine dubio cognosce quod *sacerdotium non* sit *sanum*.

Ecclesiastici reformandi.

Et inde patet, quod necessaria sit *ecclesiasticorum reformatio*: Cum *morum* suorum *deformatio* tam periculosa sit, & cunctis fidelibus populis tam damnosa.

Aliqui boni inter Ecclesiasticos reliqui.

Avertat autem misericors dominus ab ecclesia sua hanc contumeliam, ut *omnes* prælati, sacerdotes, aut alii ecclesiastici hujus lamentabilis deformationis reperiantur culpabiles. Sed sicut olim ipse sibi in Israël septem millia virorum reservavit, quorum genua non sunt curvata ante Baal, (sicut legitur *tertii Reg.* XIX. *c.*) Sic hodie in omni statu ecclesiæ *aliquos* reservasse credendus est, qui zelo Christianæ legis accensi, *deformatos mores in melius reformabunt* & suis salutaribus *verbis* & *exemplis* alios informabunt. Quod ipse præstare dignetur, qui ecclesiam suam pretioso filii sui sanguine redimere dignatus est.

Scriptum *Constantiæ* Anno Domini M. CCCC. XVI. die prima mensis Novembris.

HER-

HERMANNUS von der Hardt.

Lectori S.

EX tribus superioribus, *Parte VI. VII. & VIII.* exhibitis, *præclaris antiquis opusculis*, ex *MSctorum* tenebris erutis, luculenter patet, quam impense Ecclesiasticum statum in Concilio Constantiensi emendatum cupiverit *Alliacus*, quem emendationis ordinem, quasve regulas aut reformationis articulos consignaverit. Idem sane in omnibus propemodum *orationibus*, quas frequentes *in Concilio* publice habuit, egisse deprehenditur, cujus in Ecclesiæ commoda studium erat infractum, desideriumque reformationis insatiabile.

A. 1417. In festo S. Ludovici, Caroli Regis Siciliæ filii, Episcopi Tholosani, quando solennem in Constantiensi Concilio orationem habuit, miseram Ecclesiæ sui temporis faciem his irrigavit ac perfudit lacrymis: *O utinam exemplum Ludovici imitari studerent Prælati Ecclesiæ, ut sic evitare valeant divinam maledictionem Ezechielis Prophetæ: Væ pastoribus Israël qui pascebant semet ipsos. Ut non sint de illis, qui juxta sententiam Apostoli quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Seu potius, qui non solum* sua *quærunt, sed* non sua *capiunt, rapiunt* aliena. *Ut videlicet de bonis Ecclesiæ, quæ ultra moderatum victum ipsorum & vestitum ad pauperum pertinent usum, se ipsos pascant, id est, superflue vivant. O utinam non solum superflue, utinam non super modum & debitum ordinem vitiose viverent ministri Ecclesiæ, utinam non in crapula & ebrietate, non in luxuria & fœditate, non in superbia & vanitate: non in muliebri lascivia, non in militari familia, non in seculari pompa, non ad superabundantiam, sed ad sufficientiam, non ad superfluitatem sed ad necessitatem, non ad ostentationem sed ad sustentationem, non cum læsione pauperum, non cum gravamine ovium, non cum scandalo subditorum. Sed væ & iterum atque iterum væ nobis. Quia hæc omnia vitia in clero experimur!* His Ecclesiæ malis *remedium ex reformatione in Concilio Constantiensi* quæsitum esse mox observat Alliacus. Verùm & huic reformandi studio ingentia in Concilio objecta esse obstacula vehementer ibidem dolet. Inter quæ impedimenta numerat litem in Concilio Constantiensi subortam de Reformationis ordine, an prius Ecclesiasticus status reformandus, an Papa prius eligendus, sub cujus directorio reformatio postea susciperetur. Fuitque Alliacus tunc illius sententiæ, Papam prius bonum eligendum, dein negotium reformationis desideratum suscipiendum. Hæ interim magnorum in Concilio virorum contentiones Reformationi eas injecerunt moras, ut non solùm differretur nimis diu, sed & electo tandem novo Pontifice plane expiraret. Tristia hæc saluberrimæ in Constantiensi Concilio suscipiendæ *Reformationis fata* his describit *in laudata oratione* verbis:

bis: *Contra hæc in hoc sacro Concilio multa de reformatione loquimur, sed pauca vel nulla exequimur. Multa in Codicibus scribimus, pauca in cordibus de morum reformatione sentimus. Clamant membra de reformatione capitis, ipsis in monstruosa vitiorum deformatione manentibus. Tacent sua vitia, accusant aliena. Aliorum infirmitatem sanare contendunt, & propriam sanitatem contemnunt. Nec solùm eam negligunt, sed medicinæ opem ferre volentibus contradicunt. O monstruosa deformitas, & deformis reformatio. Ecce jam proh pudor ab Ecclesia caput subtrahitur, jamque acephala derelinquitur. Ut membrorum reformatione postposita, capitis reformatio præferatur. Cum tamen canonica provisio super futura electione sit prima & principalis reformatio Ecclesiæ præ ceteris necessaria, ac debito ordine nullatenus postponenda. Quia hæc deformitas, scil. quod Ecclesia maneat acephala, est periculosissima. Et per consequens hujus deformitatis reformatio est præ ceteris necessaria. Ut quidam egregii doctores tam divino quam humano jure coram judicibus in causis fidei declarare proponunt, quibus è contra alii repugnare contendunt. Inter hæc proh dolor dum Ecclesiæ unionem quærimus in varias divisionum contentiones ac discordias oberramus. Ut merito nobis timendum sit illud quod ab infallibili veritate dicitur: Omne regnum in se divisum desolabitur; & illud Salustii: Sicut concordia parvæ res crescunt, ita discordia maximæ dilabuntur.*

Et paulo post, querelis auctis: *Manifestum est*, inquit, *quod longo jam tempore Ecclesia fuerit multipliciter deformata. Indiguitque, & nunc maxime indiget, ut in fide & moribus reformetur. Sed nunc membris Ecclesiæ separatis à capite, & apostolico dispensatore ac directore carentibus, hæc reformatio nequaquam bene fieri posse speratur &c.*

Similia plura voti ac desiderii Alliaceni argumenta atque testimonia ex ejus orationibus in Concilio habitis afferre supervacaneum erit. Ne quid verò desideretur amplius, integram quandam *Cardinalis* nostri *orationem, de Reformatione Ecclesiæ maturanda*, in Concilio Const. A. 1417. habitam, loco appendicis subjungere decebit.

ORATIO PETRI de ALLIACO Cardinalis Cameracensis DE OFFICIO IMPERATORIS, PAPÆ, RELIQUORUMQUE MEMBRORUM CONCILII CONSTANTIENSIS PRO EMENDATIONE ECCLESIÆ;

Habita Constantiæ, in Concilio generali, Anno MCCCC XVII.

Ex *antiquissimo Codice*, impresso *Argentinæ Anno* 1490.

ERunt *signa in sole, luna & stellis.* Considerantibus nobis verba proposita triplex occurrit quæstio, pro eorum introductione in hujus sermonis procemio breviter explicanda. Prima. Qualiter verba hæc Evangelica ad ea, *quæ nobis hic sunt agenda*, pertineant. Secunda. Quid significent illa cœli luminaria, quæ *nobis* consideranda præsentantur. Tertia. Quæ sint ista signa cœlestia, quæ *nobis* futura prænunciant.

Hæ siquidem quæstiones *multorum* forte *hic astantium* animos pulsant, qui secum taciti admirantes interrogant: Quam ob causam, quamve rationem aut congruentiam verba hæc proponere decreverim, & huic applicare sermoni. Quid, inquiunt, ad rem pertinet, quid *ad propositum* attinet *concilii generalis: Erunt signa in sole, luna & stellis.*

Prima igitur quæstio proponitur, qualiter verba hæc Evangelica ad ea, *quæ nobis hic sunt agenda*, pertineant. Pro quo sciendum nobis est, quod verba præmissa omnino arbitratus sum huic sermoni aptissime convenire, quod hi, *qui in hac synodali congregatione præsentes* adsunt, *debent esse velut clarissima cœli luminaria*, soli, lunæ ac stellis merito comparanda, ut sequentia plenius declarabunt.

Nec caret congrua ratione rationabilis congruentia. Quia hæc verba, quæ ad literalem intellectum dicta sunt de signis adventus Domini ad generale judicium finale, juxta sensum spiritualem intelligi possunt de signis *adventus* ejus *ad generale concilium*, seu *judicium synodale*; De quo adventu ipse in Evangelio legitur promisisse: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio illorum sum.*

Votum pro gratia & auxilio Dei in Concilio Const.

O utinam bone Jesu, *utinam sis hic in medio nostrum*, ubi duo non solum vel tres, sed *tanta fidelium multitudo universalem repræsentans Ecclesiam* congregatur. Qui utique congregati sunt in nomine tuo, in nomine Jesu, in nomine salvatoris, nempe titulo seu *causa procurandæ* salutis & *salutaris utilitatis*, non particularis quidem sed *universalis*, nec unius aut paucorum membrorum tuorum, sed *totius* tui mystici corporis, totiusque tuæ *Christianitatis*. Utinam ergo salutifer Christe, utinam *nobis* in tuo salutari nomine *congregatis* ita digneris *præsens* assistere, ut, pullis errorum tenebris & peccatorum nebulis, effici mereamur *clara luminaria* cœli spiritualis, id est, tuæ *Ecclesia militantis*, & in nobis reluceant læta signa salutaris consolationis. Ut sic vere possit dici: *Erunt signa in sole, luna & stellis.*

Scopo Concilii Const. emendatio Christianismi.

Secunda quæstio erat, quid significent illa cœli luminaria, quæ præmissa verba nobis consideranda præsentant. Pro qua considerandum nobis est, quod, sicut in cœlo corporali, sic in cœlo spirituali, hoc est, *in præsenti Ecclesia,*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

clesia, quæ Gregorio teste sæpe in sacro eloquio regnum cœlorum dicitur, ordinatissimus Rex, omnium dispositor, diversa luminaria disposuit, de quibus in principio libri Genesis scriptum est: *Fecit Dominus duo magna luminaria. Luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti, & stellas.*

Ecclesiæ lumina Papa & Imperator.

Habet igitur *Ecclesia* duo luminaria magna, solem & lunam, habet & stellas varias.

Officium Papæ, Imperatoris, Ecclesiasticorum.

In *sole Papalis* Majestas, quæ præest diei, id est, *spiritualibus*; In *luna Imperialis* potestas, quæ præest nocti, id est, temporalibus. In *stellis* vero diversorum statuum *Ecclesiasticorum* varietas, quæ suis subest majoribus, congrue designatur, sicut plenius patebit ex his, quæ inferius dicenda sunt.

O quam decora est Ecclesia Christiana horum luminarium mira varietate, variaque claritate, dicente Apostolo: *Alia est claritas solis, alia luna, alia stellarum, & stella a stella differt in claritate.* Ecce ergo, quam bonum & quam jucundum est, horum luminarium variam claritatem videre! Quod tamen *nobis nunc Domino donante* concessum est, *cum solem & lunam, utramque* videlicet *potestatem*, spiritualem & temporalem, *sacerdotalem & regalem*, simulque cum eis stellas varias, id est, *varios Ecclesiæ status* ad illuminandum universalem faciem terræ videamus *in hoc sacro concilio* convenire. Ut merito de eis dictum sit: *Erunt signa in sole, luna & stellis.*

Omnes Christiani orbis status in Concilio Const. præsentes.

Tertia quæstio fuit: Quæ sint ista signa cœlestia, quæ verba prædicta nobis futura prænunciant. Pro quo pensandum nobis est, quod in cœlo spiritualiter intellecto, hoc est, *in hoc sacro generali concilio, quo universalis repræsentatur Ecclesia*, in sole, luna & stellis apparere incipiunt signa multa, signa magna, signa nova, signa utique cœlestia, sua multitudine stupenda, sua magnitudine miranda, sua novitate jucunda, quæ plurimis retro actis temporibus fuerunt abscondita, fuerunteque tristia signa illis omnino contraria.

Magna spes ex Concilio Const.

Sed quod parabolice & obscure dixi-

ximus, jam clare & lucide disseramus. Scimus namque, & satis, superque satis per experientiam docti sumus, qualiter proh dolor, in sole, luna & stellis præcesserint *signa tristitiæ* & mœroris, signa videlicet *schismaticæ divisionis*, & *Ecclesiasticæ deformationis*. Propter quod impletum est illud Joëlis vaticinium: *Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.*

Schisma ante Concil. Const. Ecclesiæ deformatio ante Const. Concilium.

Jam vero quod gaudentes referimus, videre speramus *signa jucunditatis* & lætitiæ, signa charitatis & concordiæ, signa prosperitatis & complacentiæ, signa videlicet *pacificæ unionis & reformationis Ecclesiasticæ.*

Spes unionis ac reformationis in Concilio Const.

Hæc est ergo mirabilis mutatio dexteræ excelsi, quam in sole, luna & stellis nunc inchoari videmus, dum *hoc sacrum concilium ad hunc finem congregatum* aspicimus, ut sancta mater *Ecclesia* jam dudum per schismaticam divisionem miserabiliter *deformata*, nunc per pacificam unionem *reformetur*. Sane NEC VERA UNIO SINE REFORMATIONE, NEC VERA REFORMATIO SINE UNIONE ESSE POTERIT. O præclarum & prosperum diem, & quem meritò sanctum dixerim, sub quo hoc fieri contigerit! O beatos oculos, qui hoc videre meruerint! O *felicem locum*, *hanc* videlicet *Constantiensem civitatem*, meque pariter cum ea jucundæ exultationis participem, quem intra terminos *commissæ mihi legationis ad partes Alemaniæ* Dominus ad hoc eligere dignatus est.

Ecclesiæ reformatio finis Concilii Const. Unio Ecclesiæ absque reformatione in Concilio Const. non speranda.

Petrus de Alliaco Legatus in Germaniam ante Concilium Const.

Sed magis laudanda & veneranda, & cum lætabunda gratiarum actione dignis præconiis extollenda *immensa Dei clementia*, quæ tam ingens largitatis beneficium Ecclesiæ suæ contulit, ut terribilia signa horrendi *schismatis* tam mirabili mutatione converteret in tranquilla signa optatæ *unionis & pacis*, de quibus dictum est; Erunt signa in sole, luna & stellis.

Hæc igitur hactenus de tribus præmissis quæstionibus *generaliter* dicta sint, Sed jam restat, ut *specialiter* consideremus dicta luminaria, & in eis sigillatim notemus signa, & signemus mysteria.

Primo quidem in *sole* signa *præsidentia* paste-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pastoralis. Secundo in *luna* signa *prudentiæ temporalis.* Tertio in *stellis* signa *assistentiæ specialis* & obedientiæ filialis.

Officia pastoralia Papæ.

In primis ergo consideremus in *sole*, id est, in *papali sublimitate* signa *præsidentiæ pastoralis.* De qua singulariter Petro pro se & suis successoribus à Christo dictum est: *Pasce oves meas.* Non quidem specialiter has vel illas, sed generaliter universas.

Characteres Pontificis boni cum sole comparati.

Hæc autem *Papalis sublimitas*, & ejus *pastoralis præsidentia*, ac eminentia singularis *soli* meritò comparatur propter tres excellentias, quas in eo specialiter cognoscimus. Habet enim sublimitatem positionis, habet nobilitatem conditionis, habet utilitatem operationis. Sic *Pontifex summus* & pastor supremus instar solis: Habet positionis sublimitatem, *si bene intraverit.* Habet conditionis nobilitatem, *si bene vixerit.* Habet operationis utilitatem, *si bene rexerit.*

Legitima electio. Honesta vita. Bonum regimen.

Notæ mali Pontificis. Illegitima electio. Inhonesta vita. Malum regimen.

Sed è contra quod absit, pastor ab his conditionibus solis degenerat: *Si male intraverit*, per injustam & reprobam ambitionem: *Si male vixerit*, per inhonestam & scandalosam conversationem: *Si male rexerit*, per torpidam & otiosam remissionem, vel per tyrannicam & onerosam ac odiosam administrationem.

Dei est bonum constituere Pontificem.

Hæc proh dolor essent signa tristia, & non illa jucunda signa, quæ divina favente clementia nunc in sole nostro videre speramus, ut de eo cum Psalmista Domino dicere valeamus: *Tu fabricasti auroram & solem.* Fabricat enim Deus solem, *quando summus Pontifex* per canonicam institutionem *dignus eligitur.* Et tunc ex Dei opere verus sol efficitur, & recte super alios sublimatur.

Ex prava Papæ electione fit falsum solis simulacrum.

Sed non est ille sol verus, sed falsum *solis simulacrum*, qui manibus hominum, id est, *humanis & dolosis adinventionibus* fabricatur, sicut in Psalmo scriptum est: *Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.* Imo de talibus idolis per Jeremiam dicitur: *Conteret Dominus statuas domus solis.*

O utinam beata Trinitas sua omnipotenti virtute conterat statuas domus solis, id est, *simulacra Romanæ Ecclesiæ*, quæ est domus summi Pontificis! Utinam, inquam, illa *simulacra* conterat, quæ in contumeliam individuæ Trinitatis *trinum* sibi *nomen papatus* multiplicare conati sunt, cum tamen eum tres simul habere nequeant, sed unus solus veri solis & veri Papæ nomen & realem dignitatem obtinere debeat.

Simulacra Ro. Ecclesiæ tres Pontifices in schismate ante Concilium Const.

Unde in *plurium de hoc nomine contendentium irrisionem* alias me scripsisse recolo, quod, sicut in divinis veneranda est & adoranda Trinitas personarum, sic in humanis verenda & abominanda *trinitas Paparum.* Cum enim *sol* dicatur quasi per excellentiam *solus lucens*, non potest esse sol trinus, sed necesse est, ut solus sit, & unicus. Unde, licet narrent historiæ, tres soles in cœlo aliquando visos fuisse, sicut testatur Eusebius, tamen secundum Philosophos nunquam plures fuerunt realiter, sed solum apparenter. Nam quædam nubes interposita apparere fecit plura solis simulacra eidem similia; Et illud fuit signum pronosticum inundationis futuræ.

Unum esse debere Papam.

Sic revera à *tempore præsentis schismatis* quædam fuit nubes ingratiæ & malitiæ, quæ in Romana curia *plura* solis, id est, *papalis dignitatis simulacra* fecit lippis oculis apparere. Quod monstruosum prodigium præsagium fuit *inundationis plurium scandalorum*, de quibus magis flere libet, quam aliquid dicere.

In Concilio Const. Paparum multitudo minuenda.

Hoc autem *sacrum concilium* ad hunc finem specialiter institutum est, *ut*, fugatis hujus erroris tenebris, *conteratur hujusmodi simulacra*, & juxta verbum Christi, fiat unum ovile & unus pastor, qui tanquam verus sol unus & solus clarescat, & suo lumine universam illustrans Ecclesiam schismatis scandala sicut fœnum ante conspectum solis incalescentis arescere faciat. Ut de eo dici possit illud propheticum: *Ortus est sol in ardore, & arefecit fœnum.* Et hæc de sole, & prima nostri sermonis consideratione sufficiant.

Officia Imperatoris in Concilio Const.

Jam ergo consideremus in *luna*, id est, REGALI seu IMPERIALI MAJESTATE signa *providentiæ temporalis.* De qua scriptum est:

Sine Imperatore pax Ecclesiæ nulla.

est: *Absque regali providentia impossibile est pacem rebus dari.*

Hæc autem REGIA MAJESTAS & ejus temporalis providentia, *lunæ* merito comparatur propter tres conditiones, quas in ea sensibiliter experimur. Est enim luna secundum Isidorum imitatrix solis, dominatrix maris, & ministra roris. In quibus designantur tres excellentiæ, quæ debent regali providentiæ specialiter convenire. In imitatione solis, id est, spiritualis claritatis, fulgor *claræ prudentiæ*; In dominatione maris, id est, temporalis mutabilitatis, vigor *magnæ potentiæ*. In ministratione roris, id est, visceralis pietatis, dulcor *veræ clementiæ*.

Tres characteres Imperatoris: Prudentia, Potentia, Clementia.

Hæc sunt signa, quæ in luna nostra, hoc est, in regali providentia nunc Domino concedente videre speramus. Ut *per ejus prudentiam* clarescat *veritas in discernendis judiciis*: Ut *per ejus potentiam* ferveſcat *severitas in corrigendis vitiis.* Ut per *ejus clementiam* dulcescat *serenitas in sublevandis miseriis.*

Imperator verax & sagax in discernendis judiciis. Severus in corrigendis vitiis. Clemens in leniendis miseriis.

Speramus igitur, quod per REGIS *nostri prudentiam* clarescet *veritas in judiciis discernendis*, juxta illud, quod in proverbiis scribitur: *Rex, qui judicat in veritate, thronus ejus in æternum firmabitur.*

Speramus insuper, quod *per ejus potentiam* ferveſcet *severitas in vitiis corrigendis.* Et sic de eo verificabitur illud, quod ibidem legitur: *Rex, qui sedet in solio judicii sui, id est, sua regali potentia atque providentia, dissipat omne malum.* Et notanter dictum est: *Omne malum.* Ut detur intelligi, quod Regia severitas non debet unum malum dissipare, & aliud dissimulare, sed sine personarum acceptione *omne malum* punire: Et in hac punitione non bonum naturæ, sed malum culpæ in hominibus persequi.

Spes ex Imperatoris Sigismundi prudentia. Sigismundi potentia.

Speramus denique, quod *per ejus clementiam* dulcescat *serenitas in miseriis sublevandis.* Ut cum sancto Job dicere valeat: *Cum sederem quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.*

Sigismundi clementia.

Ad REGIS enim *nostri* clementiam pertinet, ut *severitatem justitiæ per serenitatem misericordiæ temperet*, & sicut illam contra superbos & rebelles, maxime contra hæreticos & infideles, contra schismatcos, & Ecclesiæ adversantes, sic istam in humiles & subjectos exerceat. Ut ei illud præconium conveniat, quod in laudem optimi Principis ab egregio Poëta dictum est: *Parcere subjectis & debellare superbos.*

His itaque *virtutum* titulis insignitus, *dignus* erit *REX noster gladium accipere*, non sua quidem, sed divina autoritate, nec pro quacunque causa, sed *pro tuitione justitiæ, & Ecclesiæ defensione.* Ut mereatur illud audire, quod Judæ Maccabæo strenuissimo divinæ legis Zelatori dictum est: *Accipe gladium sanctum munus à Deo, quo dejicies adversarios populi mei Israël*, id est, populi Christiani.

Imperatori debetur gladius.

Gaudeat igitur Ecclesia & nos cum ea pariter exultemus, quia *Serenissimus ROMANORUM REX huic sacro generali concilio* humiliter voluit *interesse*: Non quidem ut præsit, sed ut prosit, non, ut spiritualia & Ecclesiastica negotia hîc tractanda regia autoritate definiat, sed ut ea, quæ *synodali determinatione* definita fuerint, sua potestate defendat. Non denique quasi sua interſit, synodalia decreta statuere, aut statuta confirmare, sed ea potius reverenter conservare, & ad eorum obſervantiam, superbam inobedientium contumaciam suo temporali gladio coërcere: Volens in hoc *exemplum* imitari *religiosissimi Principis Constantini*: De quo legitur in *Decreto*, & plenius habetur in *historia Ecclesiastica lib.* x. & in *Tripartita lib.* II.

Imperator Sigismundus in Concilio Const. præsens. Distincta officia Imperatoris in Concilio Const.

O igitur felicem, o nobis optabilem diem, & toti mundo desiderabilem, quo *in hac sacra synodo* videmus solem & lunam, id est, spiritualem & temporalem potestatem *sibi invicem assistere*, & sese forti ac stabili munire præsidio, ut de eis dici posit illud Propheticum: *Sol & luna steterunt in habitaculo suo.* Et hæc de luna & de secunda nostri sermonis consideratione sufficiant.

Sed jam ultimo consideremus *in*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Officia Ecclesiasticorum in Concilio Const.

stellis, id est, in multiplici *Ecclesiasticorum statuum* varietate, signa specialis *assistentiæ* & *obedientiæ* filialis. De qua mystice & figurative potest accipi illud *Baruch* Prophetæ verbum: *Stellæ dederunt lucem in custodiis suis, vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus.*

Ubi circa *hujus sacri concilii congregationem* tria notare debemus. Primo in *personis congregatis* conditionis nobilitatem: Quia *stellæ dederunt lucem.* Secundo in *persona congregante* autoritatem prælationis: Quia *vocatæ* sunt. Tertio in *ipsa congregatione* subjectionis humilitatem: Quia dixerunt: *Adsumus.*

Nemo à Concilio Const. exclusus.

Viri magni & illustres ad Conciliũ Constantiense præcipue vocati, non plebeji.

Consideremus itaque primo in *personis congregatis* conditionis nobilitatem: Quia *stellæ.* Licet enim *nullæ personæ* catholicæ, etiamsi sint schismaticæ, *ab hac congregatione* sint *exclusæ: Non* tamen specialiter sunt *vocatæ infimæ aut ignorantes personæ*, sed illæ præcipuè, quæ in triplicis *conditionis nobilitate* stellis cœli sunt merito comparandæ, videlicet, in sublimitate excellentis *eminentiæ*, in claritate refulgentis *sapientiæ*, in potestate præcellentis *influentiæ.*

Antistites Ecclesiarũ ad Conciliũ Const. vocati.

Stellæ igitur non qualescunque aut quantumcunque parvæ, vel parum luminosæ, sed tales, quæ per *abundantem virtutis redundantiam* dederunt lucem in custodiis suis, id est, *in variis Ecclesiæ Christianæ locis*, eis ad custodiam deputatis, & in administrationem commissis. De quibus dici potest illud Ecclesiastici: *Species cœli*, id est, decor Ecclesiæ, vel *hujus cœlestis concilii* gloria stellarum mundum illuminans.

Ad Conciliũ Const. vocati autoritate Papali.

Pontificis esse Concilium convocare, juxta cõmunia jura.

Consideremus deinde in *persona congregante* prælationis autoritatem: Quia *vocatæ* sunt. *Non* enim *propria temeritate convenerunt*, sed *apostolica autoritate vocatæ* sunt, ab illo videlicet, qui prælationis ac potestatis plenitudinem habere dignoscitur, id est, *à summo Pontifice*, qui solus potest generale concilium convocare, sicut per *communia jura* positiva probatur.

Quod utique *regulariter* verum est. Sed *jure divino & naturali* patenter ostenditur, quod *hac regula in certis casibus exceptionem habeat*, & specialiter in casu *Pisani concilii*, sicut aliàs declaravi. Unde, qui oppositum tenent, literali sensui juris positivi Judaico more nimis tenaciter adhærent, contra quos ait Apostolus: Litera occidit, spiritus, id est, spiritualis sensus vivificat.

Lex illa de jure Pontificis Conciliũ convocandi patitur exceptionem.

Consideramus denique in *hac sacra congregatione* subjectionis humilitatem, quod stellæ dixerunt: Adsumus; id est, *ad specialem assistentiam*, & obedientiam filialem nos humiliter præsentamus. Ut summo Pontifici merito possit hæc congregatio illud Prophetæ verbum dicere: *Ecce adsum, quia vocasti me.* Et hæc de stellis, & tertia nostri sermonis consideratione sufficiant.

Tria momenta in Concil. Const. tranda. Præterita corrigenda. Præsentia ordinanda. Futura instruenda. Reformatio Ecclesiæ. Unio Ecclesiæ. Conservatio boni in Ecclesia. Prudentia versatur circa præterita præsentia & futura.

Sed vos, o stellæ clarissimæ, non immeritò quærere potestis: *Quare vocatæ sitis*, ad quid cum sole & luna conveneritis, propter quid cum eis synodaliter hic congregari debueritis? Ad hanc quæstionem respondeo, quod *in hac sacra synodo* sol, luna, & stellæ *propter tria* specialiter *congregentur.* Primo *ad præterita corrigenda*, secundo *ad præsentia ordinanda*, tertio *ad futura providenda.*

Primo *ad correctionem & reformationem Ecclesiasticæ deformitatis*, quoad præterita. Secundo *ad ordinationem & integrationem pacificæ unionis*, quoad præsentia. Tertio *ad provisionem & evitationem malesicæ pravitatis*, quoad futura.

His enim tribus temporibus secundum Senecam *tria prudentiæ officia* correspondent. Quæ si nunc debite impleantur, utique juxta verba proposita erunt signa in sole, luna & stellis, id est *in omnibus statibus Ecclesiasticis*, tam *in Ecclesiæ capite* quam *in membris.* Signa, inquam, jucunditatis, & exultationis, quæ in hac synodali congregatione fieri præstolamur. Et hæc sub triplici conclusione prosequemur.

Prima ergo conclusio est, quod *hac sacra synodus congregetur ad correctionem & reformationem Ecclesiasticæ deformitatis.* Ut merito nobis dici possit illud Ezechielis: *Pro eo, quod versi estis in scoriam, congregabo vos & conflabo, & succendam vos*

vos igne furoris mei, id est Zelo fervoris divini.

O utinam hoc igne, hoc Zelo, hoc divino fervore ita nos conflare & succendere dignetur Spiritus S. *ut* suâ gratia mediante *Ecclesiam, quæ à puritate sui primitivi decoris versa est in scoriam multiplicis deformitatis, purgare & reformare valeamus.*

Necessaria Ecclesiæ reformatio.

Heu, heu, quam *necessaria* sit, & jamdudum fuerit ista *Ecclesiæ reformatio, magna* ejus *deformatio* insinuat, de qua *Bernhardus sermone XXXIII. super Cantica* lamentabiliter conquerendo dicebat: *Serpit hodie putrida tabes per omne corpus Ecclesiæ, & quo latius, eo desperatius, eoque periculosius, quo interius.* Et multis interpositis subdit: *Olim de Ecclesia prædictum est, & nunc tempus impletionis advenit; Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos potest. Intestina ergo & vix sanabilis est plaga Ecclesiæ, & imo in pace amaritudo ejus amarissima. Sed, in qua pace? Et pax est, & non est pax. Pax à paganis, pax ab hæreticis, sed non profecto pax à filiis. Unde vox ejus est plangentis in tempore isto: Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Spreverunt & maculaverunt me turpi vita, turpi quæstu, turpi commercio, negotio denique perambulante in tenebris.* Heu, heu & iterum heu, si hæc dicebat ille tempore suo, quid jam dicere possumus tempore nostro, cum illi *mali mores* ex tunc semper *creverint* & processerint ad pejores. Hinc præsentem Ecclesiæ persecutionem, hinc horrendam monstruosi hujus schismatis divisionem, hinc subtractionem obedientiæ ab Ecclesia Romana, aliaque scandala plura secutura ex tunc quidem oculo spiritualis intelligentiæ præviderunt, sicut patet ex scriptis venerabilis Abbatis *Joachim & Sanctæ Hildegardis*, quorum non est autoritas contemnenda.

Augurium malorum, quæ ex reformationis neglectu oritura.

Si ergo contra hæc mala *hæc sacra synodus* non providerit *remedia* congrua, audacter affirmo, quod post tam horrendas coruscationes, quas videmus, horribiliora sequentur tonitrua.

Impensum desiderium reformationis.

Utinam igitur, *utinam horum malorum reformatio fiat.* Utinam *ad expurgandam Ecclesiæ scoriam* accendatur in nobis ignis boni furoris, id est, zelus divini fervoris. Ut impleatur, quod præmemoratus *Ezechiel* Propheta subjunxit: *Et conflabimini, sicut conflatur argentum in medio fornacis*, id est, sicut purgatur argentum in fornace, non solum exterius, sed interius & in omni parte, ut *non* sit *ficta* vel simulatoria, *sed perfecta* & vera *purgatio.*

Zelus reformandi Ecclesiam est à Deo expetendus.

Hoc autem fieri non poterit, nisi Christus afflatu suo nos inflammet in fornace *charitatis*, & ardere faciat igne suo, videlicet *zelo ardentis fervoris, vitiorum scoriam expurgantis*, de quo ipse ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut ardeat.* Et hæc de prima conclusione.

Unio Ecclesiæ in Concilio Const. restauranda.

Secunda conclusio est, quod *hæc sancta synodus congregetur* ad reordinationem & *reintegrationem pacificæ unitatis.* Ut de nobis verificetur, quod in Evangelio legitur: *Erant discipuli pariter congregati, quando venit & stetit Jesus in medio eorum, & quando ait eis, pax vobis.*

O utinam *in medio hujus synodalis congregationis ita* venire & perseveranter stare dignetur salvator Jesus, ut sua præsentia nobis *Ecclesiasticam* afferat *pacem*, & *pacificam unitatem!* Utinam ad hanc reordinandam & reintegrandam sic nobis secum cooperari concedat, ut nostri laboris fructum universitas Christiana sentiat. Hoc itaque labore nullus esse potest fructuosior, hoc fructu nullus sentiri potest suavior. Nec his pacis laudibus diutius oportet insistere, cum talibus scripturæ plenæ sint nobis non ignotis.

Sed *in tanti boni persecutione nostram decet negligentiam arguere*, nostram pigritiam excitare. Nimis enim hoc in negotio temnimus, nimis huc usque quievimus, nimis obdormivimus. *Exsurgendum tandem est*, & data nunc opportunitate & occasione cœlitus exhibita, ad hoc tam arduum, & Ecclesiæ Dei tam necessarium virtutis opus efficaciter assurgendum. Et quia, *ubi*

inten-

intenderis ingenium, valet, ut ait Comicus, ideo omnes hic ingenii vires impendamus, totis conatibus incumbamus, rumpamus moras, tollamus dilationes, & pacem hanc tam utilem modis omnibus & viis rationalibus fine debito terminemus.

Ad hunc vero finem obtinendum hanc conclusionem audacter affirmo, quod *in hoc concilio nulla via possibilis* erit *repellenda*, seu penitus reprobanda, nisi quæ probabitur esse juri naturali seu divino contraria. Nam ad illud jus necessario recurrendum est, ubi jura non providerunt humana. Et hæc de secunda conclusione sufficiant.

Providendum in Concilio Const. adversus futura Ecclesiæ damna corruptionēque novā. Remediū adversus futura Ecclesiæ mala quæsitum in Const. Concilio.

Tertia conclusio est, quod hæc sancta synodus congregetur *ad provisionem & evitationem futurā malefica pravitatis.* Ut convenienter hic aptari videantur verba, quæ Moses in Deuteronomio loquitur: *Congregate ad me omnes majores natu per tribus vestras, atque doctores, & invocabo contra eos cœlum & terram. Novi enim, quod post mortem meam iniqua agetis, & occurrent vobis mala in extremo tempore.* Quo Mosis exemplo docemur, quod ad hoc *synodaliter congregemur*, ut non solum *preterita mala corrigere*, aut *præsentia reordinare* debeamus, sed etiam, ut *contra futura providere*, & ea, quantum in nobis est, *in* nostris *posteris evitare* curemus.

Pracavendum, sed & exequendū.

O utinam majores natu, utinam Ecclesiæ pastores & doctores *hic congregati*, & hoc exemplo admoniti diligenter attendant hominum pronitatem ad malitiæ pravitatem. Utinam vigilanter sic *futura mala prævideant*, ut contra ea utiliter *provideant.* Utinam in præsenti talem adhibeant *provisionem*, quæ in futuro debitam habeat *executionem.* Quia parum est, *jura condere*, nisi sint, qui ea possint & velint *conservare.*

Hic vero unum quod ad præsens propositum maxime pertinet, singulariter admoneo: ut *in sacra synodo talis provisio* fiat, *ut per eam* hoc horrendum *schisma cito finem capiat*, ipsoque finito in posterum *ex causis similibus simile* fieri non contingat.

Unde, cum nunquam simile fuisse legatur, diligenter considerandæ sunt *principales radices*, & *radicales* ejus *causæ*, seu *occasiones.* Et contra eas, ne in futurum similes orirentur, per synodalia decreta essent convenientia remedia providenda, *exemplo sanctorum patrum*, quorum sequi debemus vestigia, qui *in conciliis generalibus* contra præcedentia schismata futura remedia leguntur statuisse. De qua materia plenius alibi tetigi, sed hic transeo brevitatis gratia. Et hæc de tertia conclusione sufficiant.

Sic ergo sub conclusione triplici breviter & summatim ea tetigimus, propter quæ hic synodaliter congregamur.

Magna autoritas Concilii Constant.

Sed circa illa *quantum autoritatis habeat hac sacra synodus*, non videtur utile omnino silentio præterire. Sciendum est igitur, quod in cœlo cum sole & luna sint & aliæ *stellæ*, non solùm ut eis assistant, sed etiam, ut *cum eis influant.* Non enim tantummodo soli & lunæ, sed cæteris stellis, imo generaliter omnibus lationibus superioribus subjectus est hic mundus inferior, sicut Aristoteles ait, ut tota virtus ejus gubernetur inde. Sic in cœlo spirituali, *in hac* videlicet *generali Synodo*, quæ tanta stellarum varietate, variaque venustate coruscat, cum sole & luna congregatæ sunt stellæ hujusmodi, non solum ut soli & lunæ, id est, *summo Pontifici assistendo* eidem se obedientes exhibeant, sed etiam ut *cum eo sua virtute multiplici influendo* circa ea, *quæ hic agenda sunt, speciali autoritate concurrant.*

Omnes in Concilio præsentes status in consiliis concurrant.

Consulendo, Decernendo, Exequendo.

Ad hæc autem tripliciter concurrere dignoscuntur. Primo *ad dubia consulendum.* Secundo *ad consultata decernendum.* Tertio *ad decreta exequendum.*

Exemplo antiquorū Concilior. Formulæ conciliorū priscorū.

Hæc autem non solum *humano*, sed etiam *divino jure* probantur. Nam *in antiquis conciliis* & maxime approbatis hujuscemodi verba leguntur: *Placuit sancto concilio*, vel *concilium definivit*, vel *statuit sanctum concilium.* Papa etiam quandoque dicit: *Autoritate concilii & consensu* definitum est.

Hæc autem, aliaque multa similia *à divi-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

à divino jure ortum habent. Nam *in primo concilio Hierosolymis celebrato*, de quo in actibus Apostolorum legitur, Jacobus præsente Petro protulit sententiam, ubi non ait: *Placuit Petro*, sed, *placuit nobis collectis in unum.* Et sequitur: *Visum est Spiritui Sancto & nobis.*

Autoritas decernendi & definiendi in concilio nõ competit soli Pontifici, sed toti Concilio.

Ex quibus patet, quod *autoritas decernendi & definiendi non* sit *attribuenda soli Pontifici, sed toti concilio generali.*

Adulantur Pontifici, qui concilii autoritati detrahunt.

Unde manifeste reprobatur error quorundam perniciosissimus, & toti Ecclesiæ periculosissimus, qui *adulando potestati Papali*, ita *detrahunt autoritati sacri concilii*, ut dicere præsumant, quod Papa non habeat necessario sequi deliberationem concilii, imo standum sit sententiæ Papæ, si Ecclesiæ vel concilio generali contradicat: *Falsum colorem* sui erroris assumentes ex *Decretal. lib.* I. *tit.* 6. *cap. IV.* & quibusdam aliis *juribus positivis*, utique *male intellectis, & pejus contra jus naturale & divinum, in Ecclesiæ præjudicium introductis*, sicut hæc omnia plenius alibi declaravi.

Sed de his prolixius discutere temporis angustia non permittit, nec hic intendendum disputationi, sed magis orationi instandum est.

Oremus igitur, & a Domino humiliter postulemus, ut *in hac sacra synodo* sol, luna, & stellæ *concorditer* influant, & nobis cunctisque fidelibus in eis signa lætitiæ & jucunditatis appareant, nec solum signa, sed signorum *salutarem effectum*, suæque multiplicis influentiæ virtutes jugiter impendant. Quod ipse præstare dignetur, qui supra solem, lunam, & stellas in cœlis regnat, benedictus per omnia secula seculorum. Amen.

VITA
PETRI de ALLIACO
Cardinalis Cameracensis,
Qui magna Concilii Constantiensis pars fuit.

CLarissima, quæ *Concilii Constantiensis ævo* in Gallia, quin tota Ecclesia, *inque ipso isthoc œcumenico Concilio*, præ ceteris effulsere in eruditorum orbe lumina, *duo* fuerunt *Academiæ Parisiensis Cancellarii*, PETRUS de ALLIACO & JOHANNES GERSON. Nec ingenio dispares, nec doctrina prorsus dissimiles, qui & mentis sagacitate, judicandi solertia & consulendi peritia, pari propemodum excellerent gradu. In negotiis publicis fidus uterque, in laboribus infractus, in periculis constans.

Pierre d'Ailly sive PETRUS de ALLIACO (*a*) *Gallus*, egregium

(*a*) Geminum vixisse eodem fere tempore in Academia Parisiensi *Petrum de Alliaco*, quorum unus Doctor Theol. ac celebris *Academiæ Cancellarius* dudum floruerat, cum alter inter *Studiosos Grammaticos* A. 1392. & inter Philosophiæ Studiosos A. 1396. numeraretur, testis est tabula apud *Launojum*, *Tom. I. Hist. Acad. Paris. p.* 99. 100. Posterior hic Petrus de Alliaco condiscipulum habuit Nicolaum de Gerson, Fratrem Johannis Gersonis, qui illo tempore Doctor Theologiæ ac magnis in Academia & Ecclesia negotiis jam inclaruerat. An verò *junior* hic *Petrus de Alliaco* cum *seniore* illo affinitate quadam fuerit conjun-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Patria. gium magnarum virtutum compendium, in celebri oppido Galliæ Belgicæ (*b*) *Compiegne*, *Compendii* (*c*) *ad Isaram*, *Oise*, natus. Lucem vidit, aut umbram potius lucis, si obscuram Ecclesiæ illius temporis faciem spectes, *Anno* 1350. tredecim annis ante quam *Gerson*, ingenii & fortunæ Alliacenæ æmulus, & individuus consiliorum futurus comes, amoris vinculo arctissime per omnem vitam cum nostro conjungendus, hunc in Campania adspiceret orbem. Quæ est mirabilis providentia divina, & imperscrutabile humani generis fatum: Sub diverso cœlo nasci infantes, quorum hic vix uno interdum anno prior altero, futurorum ignari, occulto quasi vinculo divinitus jam conjuncti, ad amicitiam & genii ac fortunæ consortium cito properant ac magno veluti nisu ruunt. Quod in nostro *Petro Alliaceno & Johanne Gersone*, illo *Belga*, hoc *Campano*, utroque Gallo, magno Ecclesiæ commodo eventus belle ostendit.

Natus A. 1350.

Parentes. *Parentibus* usus *Petrus* noster, si non generis claritate, (*d*) nominis tamen integritate & animi bonitate ac probitate insignibus. (*e*) Quæ est virtutis indoles, quæ ortus ac generis præsidia sæpe dissimulat, ut sua ipsius vis ac præstantia tanto aliquando eniteat clarius,

junctus, nobis non constat. Nec cujas hic fuerit, quæque nactus sit fata ac studiorum præmia. Quem autem *Antonius Possevinus* juniori *Petro de Alliaco* tribuerat *librum, de vita S. Petri de Morono, Pontificis, dicti Cœlestini V.* qui Pontificatui tandem renunciavit, qui libellus à Dionysio Fabro Priore Parisiensium cœlestinorum Parisiis A. 1539. in lucem editus, ac Cardinali Petro de Alliaco ab illo adscriptus erat, hunc juniori denegat, nostroque huic *Seniori Petro de Alliaco* vindicat *Launojus Tom. II. f.* 478. & *Warthon*, *in Append. Histor. Liter. Cave, fol.* 71.

(*b*) Quod ex *Belgio* vitam traxerit noster, vel quod parentes ex urbe Lotharingiæ *Aille*, *Alliaco*, orti: Ansam videtur dedisse *Raphaeli Volaterrano*, Anthropologiæ lib. 21. f. 247. indeq; *Gesnero* in Biblioth. nec non *Andreæ Theveto*, memorante *Launojo*, *in Historia Academiæ Parisiensis*, p. 467. ut Alemannum vel *Germanum* fuisse *Petrum Alliacum* dicerent. Sicut & *Pantaleon* in *Prosopographia* Alliacum nostrum inter viros Germaniæ Illustres numerat. Satis magna Germanorum gloria, quod frequentem *ad Germanos legationem* Pontificum nomine subierit, varia scripta sub cœlo Germanico exaraverit, pro gloria ac majestate imperii Romano-Germanici strenue pugnaverit, *vitam* denique in postrema ad Germanos Papali legatione *in Germania inferiori finiverit.*

(*c*) Hanc suam *patriam* eo semper prosecutus est amore, ut morti proximus Testamento certam auri summam *Ecclesiis Compendiensibus* legaret, ut pro se justa facerent. Nec non pro xenodochiis & Leprosoriis Compensiensibus æque ac Cameracensibus certam summam legavit.

(*d*) Non omnino opulentam sed tenuem fuisse familiam, nec in Testamento dememinisse potuit, quando partem bonorum suorum legavit pro elocandis *pauperibus juvenculis*, *præsertim de genere suo.* Sicut & consangvineis proximis certam opum partem destinavit.

(*e*) Honestam tamen in ampla civitate fuisse domum, in qua natus noster, apparet ex eo, quod *parentes nostri* Alliaceni *publicam meruerint* Compendii in Ecclesia B. Antonii *memoriam* ex insigni Epitaphio, quo *uterque parens effigiatus*, in quorum medio constitutus *filius* hic *Petrus* Cardinalitio vestitu indatus. Quod magnum familiæ decus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

clarius, quanto obscurius primum initium apparuerat, ab omni fortunæ adjumento alienum. Eam certe *virtus in Petro* occultaverat nominis gloriam, quæ omnis dignitatis sacræ apicem, uno summi Pontificatus gradu excepto, non attingeret, sed superaret. Quippe dum ex illo Professorem Academicum, Theologum Doctorem, Regium Confessionarium, magnum Eleemosynarium, Academiæ Cancellarium, in Canonicorum ordine Thesaurarium, Regium Legatum, Episcopum, Cardinalem, & in magno Christiani orbis Concilio illustrem sessionum præsidem, tantum non Papam, occulta paravit virtus.

Incidit sane in *tempora nebulosa*, ac turbinibus variis partim repleta, partim tristissimis Ecclesiæ & reipublicæ universique Christiani orbis motibus quassanda. Sedem tunc temporis per quadraginta quinque annos in Gallia jam habuerant Pontifices summi. In his *Johannes XXII. Ludovici Bavari Imperatoris infensissimus hostis*, inter varia certamina Imperatorem excommunicationis fulminibus petierat, sibique in Imperatorem jus omne arrogaverat. Quæ tamen *Imperatoris Jura* Papæ dignitate superiora, prolixo scripto inter alios vindicaverat *Marsilius Patavinus*, *A.* 1324 edito suo *Defensore pacis*, *ad Imperatorem Ludovicum Bavarum.* Donec Ludovico hoc Bavaro adhuc vivo *Carolus IV. Imperator* constitueretur. *Hoc* igitur vix ad Imperium evecto, Philippo Rege hoc anno defuncto, electoque *Johanne* Rege Galliæ, *Clemente VI* Pontifice Avinionensi, cum *in Romano-Germanico Imperio tristis* esset *facies*, & in Papali regimine ad dissidia res omnis inclinaret: In hos mundi turbines projectus aut detrusus noster Alliacenus, qui & majores tempestates esset experturus. Ut plane videretur hic noster Petrus de Alliaco hoc fine mundo datus, ut opem tandem laboranti ferret Ecclesiæ, Gersonis adjutus consilio atque auxilio. *Pata illum temporis.*

Puer prævidere non poterat trium Pontificum summorum dissidia, non infinitas Ecclesiæ maculas, non corruptionem universi status Ecclesiastici: Sed experiebatur hæc omnia cum dolore *adultus* & publicæ rei sacræ gubernandæ admotus. Latebant in puero magnorum spirituum igniculi, qui liberalium artium studiis alendi, inflammandi atque eliciendi erant. *Bona indoles.*

Bonis itaque *literis* pro illius seculi fortuna *imbutus*, ingenii vivacitate hoc consecutus mox est, ut ad *Academiam Parisiensem* mature ablegaretur. Videtur autem *ante annum ætatis vigesimum* eo pervenisse, ut aliquot annis humaniora studia pro illius seculi genio pertractare & philosophicas scientias excolere posset, antequam ad Theologica, ut isto tempore erant formata, rimanda admitteretur. *Educatio. Ad Academiam Parisiensem ablegatur.*

A. 1369. *Annorum XIX.* vidit, ex voluntate Regis Caroli ac consensu totius Academiæ Parisiensis decerni ac introduci, ut in Collegio Navarrensi singulis annis in festo Ludovici publica oratio haberetur. Quod dicendi illo die festivo munus ipse noster Alliacenus quoque sequentibus annis obiit.

Circa Annum 1372, *annos fere natus* 22. beneficio regio in studio-

In Convictoriũ Regium receptus.

diorum subsidium affectus, *in laudatum Navarrense collegium seu convictorium receptus*, stipendiarius regius audivit. (*f*)

In quo Regio Collegio locum statim *inter Theologiæ Candidatos* impetravit, *Collegii* tunc *Rectore* ac Præside *Simone Freron*: Inscius, se luculentam hanc in hoc Collegio præsidendi ac gubernandi supremam spartam aliquando consecuturum.

Fuit in Academia Procurator Nationis Gallicæ.

Nationis Gallicæ in Academia Parisiensi insigne *Procuratoris officium* hoc gessit tempore. (*g*) Quod arguit, inter Studiosos non novitios sed seniores eum jam fuisse tunc numeratum, qui mature Academiam salutasset.

Celebritatibus Academicis interfuit.

A. 1373. Magnæ festivitatis in Navarrensi suo Collegio *spectator* & *pars* fuit, quando Petrus Nivernensis Episcopus, Regis Confessionarius, ac illo nomine supremus Collegii illius Gubernator, festum laudatum B. Ludovici celebravit, Missas & sacra fecit, ædemque seu Capellam istius Collegii solennissime dedicavit, Johanne Nannetensi Episcopo concionem habente. Initiata quoque ac *dedicata* tunc in ista Ecclesia *quinque altaria* variisque pro more *reliquiis dotata*, præsentibus legatis regiis, Academiæ proceribus, omnique Academicorum civium cœtu: Cum totius illius *Collegii Magister* aut Rector Theologus esset *Simon Freron*, Artistarum Magister in illo Collegio *Michaël de Crenejo*, & Magister Grammaticorum in eodem Collegio *Guido Guerini*.

Philosophiæ Magister creatus.

Supremum in Philosophia gradum, quem communi tunc inter Theologos, JCtos, Medicos, & Philosophos, promotos, *Magisterii* nomine appellabant, quin his annis more Academico jam fuerit consecutus, nullum est dubium. Eum enim in Philosophicis apparatum jam collegerat, ut alios hæc *docere* & posset & contenderet.

Scriptis Philosophicis inclarescere cœpit.

Scriptis quoque *philosophicis* partam suam in hoc genere eruditionem publice statim declarare cœpit, *viginti quatuor annorum juvenis*. His enim annis *Logicæ* disciplinæ partes commentariis illustravit. *Physicæ* & *Astronomiæ* studia multis scriptis explicavit. Ut *docendo scribendoque* in Academia se Philosophiæ illa ætate receptæ peritum testaretur, & ad publica Academiæ commoda se natum subindicaret. (*h*)

Festa Academica nõ neglexit.

A. 1374. Novum Præsentationis B. Mariæ virginis festum, in Gallicanas Ecclesias introducendum, jussu Gallorum Regis Caroli V. primo omnium in hoc Navarrensi Collegio ædeque ejus sacra celebrari *d.* 21. *Nov.* vidit noster.

In-

(*f*) *Launojus Constantiensis in Histor. Acad. Parisiens. Illustrata, Tomo II. lib. 1. cap. 4. fol.* 467.

(*g*) Launojus *l. c.*

(*h*) Launojus *l. c. Tunc varios*, ait, *de Conceptibus & Dialectica terminis elucubravit Commentarios, quibus se in Nominalium ordinem congregavit, & summorum philosophorum sectam communivit. Animam præsertim, ejus facultates, & Meterologica ita suis aperuit lucubrationibus, ut nihil esse posit vel ad inveniendum felicius, vel ad intelligendum facilius, vel ad disputandum acutius.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In *Theologico* quoque *foro* hos interea profectus fecerat, ut *Anno* 1375. *ætatis* 25. *Theologica docere* Academico more occiperet, Scholasticæ Theologiæ peritissimus, Collegiis inter Studiosos institutis. (*i*) Ex quo fit verosimile, eum non solum *Baccalaurei* in Theologia sed & *Licentiati* characteres jam obtinuisse, sine quibus Theologica docendi facultas in Academiis non indulgeri solebat. Ex quo factum, juxta Collegii vel Communitatis leges, ut Domum illam regiam seu Convictorium linqueret, *beneficiumve* quo hactenus usus, *dimitteret*, quod à *promotis Theologiæ Licentiatis* in isthoc Collegio præstandum erat. Unde *alia* ex studiis Academicisque Collegiis atque functionibus *vitæ ac studiorum præsidia* quærere necesse fuit. *Theologica docere cœpit. Theologiæ Baccalaureus ac Licenciatus.*

His igitur annis, clericali statui se consecraturus, *Subdiaconus* factus, *sermones publicos è cathedra & suggestu* frequentes habuit, supremo in Theologia gradui & magnis functionibus Academicis proximus. *Clericus factus. Subdiaconus.*

Ea jam erat autoritate Magister Alliacenus, ut *ad Synodum Ambianensem evocaretur*, frequenterque ibi *pro concione dicendi munus* obiret. Quod singulare in Alliaceno nostro habetur gloriæ & fortunæ allucentis momentum, quod, cum *Subdiaconus* solùm esset, rarissimo exemplo, Presbyteros ad Dei cultum & pietatem informaret, quod non nisi magnis competeret viris. (*k*) *Orationes solennes habuit.*

A. 1377. Cum per quinquennium solenniter in Collegio jam esset memoratum B. Ludovici Gallorum Regis festum celebratum, hoc anno partem est indeptus in publicis illius celebritatis actibus. Cum enim Joannes seu Raimundus Abbas S. Columbæ Missarum S. Ludovici & concionis officium præstitisset, noster Alliacenus *orationem latinam in laudem Ludovici* publice habuit, juxta novissimæ fundationis leges. (*l*)

Hoc tempore, cum natus esset noster 27. annos, doctrina jam clarus, in Academiam adventare, & in idem Navarrense Collegium inter bonarum artium Studiosos adolescentem *Gersonem* recipi vidit. Ut animus jam præsagire videretur, hunc esse illum, qui ut ingenii & doctrinæ fortunæque æmulus. ita & fidissimus aliquando consiliorum socius integerrimusque amicus futurus.

Hac tempestate de arduis quoque *Astrologiæ* momentis scripsisse fer- *Astrologiam excoluit.*

(*i*) Launojus Tom. II. l. c. *An.* 1375. *cœpit Magistri Sententias legere, & subtilibus & plenis Commentariis illustrare. Hos diceres ab antiquissimo & perfectissimo Professore elaboratos.* Habentur hi illius Loci aut Commentarii *Theologici* in operibus ejus, quæ *Argentinæ A.* 1490. lucem viderunt, Tomo II.

(*k*) Launojus l. c. *Ambianum evocatus in Synodo concionatur, & cum Hypodiaconus tantum esset, rarissimo exemplo, quod non nisi magnis debetur hominibus, Presbyteros ad Dei cultum & pietatem informat.*

(*l*) Launojus *Tomo I. f.* 80. *Anno* 1377. *Joannes seu Raimundus Abbas sanctæ Columbæ peregit S. Ludovici officium & concionem instituit: Petrus Alliacus collationem fecit.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

se fertur. (*m*) Cujus studii amantissimus fuit, utpote quod nec ante finem fere vitæ desereret, quin cupide semper excoleret atque ornaret. (*n*)

Doctor Theologiæ creatus.

Abunde his annis declaravit, quas à Deo consecutus esset *ingenii dotes*, quam sibi parasset *eruditionis copiam*, qua polleret *judicii bonitate*, quam obtinuisset præclaram *agendi docendique facultatem*. Quapropter *A.* 1380. 3. *Id. Apr.* cum *trigesimum ætatis annum* ageret, summos in Theologia honores in Academia Parisiensi est indeptus, *Doctoris* aut *Magistri Theologiæ* charactere ornatus.

Scripturã S. impense amavit.

Theologiæ Scholasticæ addictus, illum *erga Scripturam S. amorem* semper præ se tulit, ut *in Theologo* impensior vix quæreretur. Quare in ipsa promotione sua, cum Doctoris Theologi ornaretur charactere, *orationem* habuit *in laudem studii sacræ Scripturæ*.

Oratio ejus inauguralis de Scriptura Sacra.

Habetur hæc *Oratio Inauguralis Alliaci Tomo II. Operum*, *Argent.* 1490. In qua cum hæc explicasset verba: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam*, monuisset que, literaliter hæc de Christo intelligenda, non de *Petro*, idque confirmasset consensu Augustini, addita ratione, quod Petrus ejusque successores ob infirmitatem carnis fundamentum Ecclesiæ esse nequeant: Applicavit tandem illud dictum in Scripturam sacram, utpote solidissimum salutis principium.

Disputatio inauguralis de Ecclesia.

Disputatio quoque *Inauguralis* Alliaceni nostri, *An Ecclesia lege reguletur*, & *utrum Petri Ecclesia fide confirmetur*, conservata est *Tom. II. operum ejus.*

Ardua hæc *Disputationis Inauguralis* materia *de Ecclesia*, eum sentiendi judicandique candorem, sed & singularem παρρησίαν refert, qualem in illa ætate admireris. Distinguit inter Ecclesiam universalem & inter Ecclesiam Romanam, quæ sit particularis Ecclesia. Neque universalem Ecclesiam dici posse Romanam nisi improprie, quatenus fidem Apostolicam Romanis olim prædicatam teneat. Ecclesiam posse manere salvam, etiamsi Ro. Ecclesia prorsus à fide abiret. Romanam Ecclesiam non esse caput aliarum. Pontificem summum alium esse posse quam Romanum, ut Pontificatus summus

(*m*) Launojus Tom. II. f. 468. *Sub illud tempus de momentis Astrologia quædam opera composuit, quæ Paulus Sempronienſis Episcopus libro* 18. *de recta Paschatis celebratione cap.* 1. *mirum in modum comprobavit. De hac, inquit, Stella Magorum scripserunt viri in Christiana religione doctissimi, Albertus Magnus ac Petrus Alliacensis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis.*

(*n*) Id quod testatur studium Alliaci, in ipso Concilio Constantiensi *publico scripto* declaratum, *pro Calendarii emendatione.* Cujus *MSCtum* in *Augustissima Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi* cum aliis Alliacenis asservatur. Ut evanescat scrupulus *Vossii*, *lib. De scientiis Mathematicis p.* 229. hoc colore, quod nec Bellarminus nec Possevinus hoc scriptum allegent. Multa enim antiquorum scripta in nostram usque ætatem delituerunt. Quod multis Alliacenis contigit. Sunt tamen, ut Sixtus Senensis, Bellarminus, Vossius, qui excessisse plane Alliacum in hoc studiorum genere velint, quorum reprehensionem non effugit. Verba quorundam congessit *Thomas Pope Blount*, in *Censura celebriorum Autorum*, *f.* 314.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mus & Pontificatus Romanus sint distincti. Quod in Scriptura promittitur, Ecclesiam perseveraturam aut duraturam in fide usque ad finem mundi, nec de Romana, nec de ulla certa particulari esse intelligendum, sed de universali Ecclesia. Quæ profecto magna fuit dicendi libertas, in novo Doctore Theologo jam prodita, quæ cum annis vires sumeret, & in summum Cardinalatus apicem tandem transferretur.

A. 1381. Cum Simon Frero, hactenus Collegii vel Domus Regiæ Magister, Theologiæ Professor, factus Parisiensis esset Canonicus, hoc Domus Magisterium aut Directorium, etsi retinere mallet, linquere ex fundationis legibus debuit, quibus cautum, ut cedat domus Magister aut Præses vel Rector, si aliud officium parium vel majorum redituum nanciscatur. Successorem itaque Freronis in isthac Collegii Præfectura *Johannem Laurentium Chavangium*, *Theologiæ Doctorem*, constitui conspexit, hujus paulo post successor in hoc officio futurus noster Alliacenus.

Eodem anno, 13. *Cal. Jun.* majori indies in Academia & Ecclesia auctus autoritate, Theologiæ doctoris insigni jam stipatus, *coram Duce Andegavensi* ponderosam habuit *orationem de Concilio Universali*, quo ad Ecclesiæ salutem conservandam & Pontificum Urbani & Clementis dissidia abolenda, quam maxime opus esset, ex sententia Academiæ Parisiensis. *In re omnium gravissima*, ait Launojus, *juvenis Doctor id obtit munus, quo longævus alter vix potuisset bene feliciterque defungi.* *Orationē habuit de Concilio Universali.*

Eodem anno suæ fortunæ incrementa, vitæve præsidia apta quærens, *ex Academia Parisiensi emigravit*, *Noviodunum Belgarum* petens. Factus hic Ecclesiæ *Canonicus*, suum ibi fecit officium. *Canonicus factus.*

A. 1384. *triginta & quatuor annorum*, ad Parisiensem Academiam revocatus, *Regii* illius *Navarrensis collegii*, in quo multis annis erat informatus, atque illius ope honores Academicos varios consecutus, *Rector* ac Præses, seu *Domus Magister*, *Theologiæ Professor*, tandem est constitutus, Chavangii successor. (*o*) *Professor Theologiæ constitutus.*

Auditores tunc nactus est inter alios in Collegio isthoc Navarrensi, Theologiæ Candidatos, juvenem *Johannem Gersonem* & *Nicolaum de Clemangiis*, (*p*) Collegii socios, mox clarissimos Academiæ Professores, Doctores, Collegas, magnaque Ecclesiæ vacillantis præsidia.

Ad

(*o*) *Launojus* Tom. I. f. 81. *Petrus Alliacus cum impleret annum ætatis tricesimum, Thelogicam lauream adeptus est A.* 1480. *& quadriennio post Regia domus Præfecturam, in quo plurimum enituit, sive cum ad Regem, sive cum ad Pontificem orator mitteretur, sive cum ad Collegii custodiam advigilaret.*

(*p*) Accenset Alliaci auditoribus & *Ægidium Campensem Launojus*, *Tom. II. f.* 468. Quod tamen non sit verosimile: Cum eodem anno, quo Alliacus Theologiæ Professor & Regiæ Domus seu Collegii Navarrici Rector constitutus, A. 1484. *Ægidius de Campis*, s. Campensis, summos jam in Theologia honores sit consecutus, *Theologia Magister* aut *Doctor* declaratus, ipso Launojo teste, Tom. I. f. 98.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Convictorium reformavit.

Ad hoc Navarrensis Collegii Directorium promotus, suam mox sollicitudinem, vigilantiam ac sagacitatem abunde probavit, quando *novas Collegii istius aut Convictorii Regii regulas* ac *reformationis instar* priorum emendationem paravit. (q)

Theologicæ facultatis causam egit apud Papam.

A. 1387. *cum annum ageret* 37. Facultas Theologica, cujus pars erat noster Alliacensis, *cum Joanne Montesono, Theologo Prædicatorum ordinis, controversiam* nacta, *de B. Virginis Mariæ conceptione.* Cum Montesonus à recepta Facultatis Theologicæ Parisiensis Academiæ sententia hac in re discessisset, condemnarat Academia Montesonum, suæ receptæ opinioni inhærens. Montesonus ad *Papam*, Avenioni tunc sedentem, *Clementem VII.* appellarat.

Hunc itaq; ad Papam ab Academiæ decreto appellantem noster *Alliacenus* cum aliis persecutus est. Hic *Petrus noster Alliacensis coram Papa & Cardinalibus causam Facultatis Theologicæ contra Montesonum Avinioni* legatus *agens*, dicendo ac scribendo ita se gessit, ut Montesonus causa caderet, & Alliacus à Papa & Cardinalibus calculum ac pro Theologorum Parisiensium decreto faventissimam sententiam referret. Quare Academiæ & Papæ decretis non acquieturus Montesonus, in Arragoniam aufugit, unde ortus erat. In hac legatione ad Papam, *Comitem* Alliacus inter alios habuit *Gersonem* tunc Theologiæ *Baccalaureum*, teste ipso Gersone in epistola ad Collegium Navarrense, *Tom. I. operum Gersonis f. XVIII. lit. Z. edit.* 1494. Alliaci *orationes & tractatus in hac causa conscriptos* inter MSCta Regiæ Navarræ Parisiis asservari, memorat *Launojus f.* 469.

Hoc negotium, tam bene confectum, magnam Alliaceno conciliasse famam verosimile omnino. Quippe quod & *ingenii celeritatem & judicii æquitatem & orationis promptitudinem* in illa causa tractanda optime demonstrare pro genio seculi & posset & vellet. Uti sæpe *ingenia latent*, donec occasio apta illis prorumpendi aut sensim prodeundi viam monstret. Causa namq; ampla & *vires ingenii & artis copias* egregie exercet, ac quid præclare lateat in apricum producit. Sicuti & multa ingenia præclara magnis ornata dotibus latent in obscuro, quibus non contingit materia digna, qua vim suam exerant ac demonstrent. Non parva igitur & in Alliaceno nostro *fortunæ pars*, quod illam causam pro illius seculi indole tractandam acceperit, ex qua bene gesta & doctrinæ & ingenii morumque laudem reportaret, viamq; ad ampliorem fortunam sibi strueret.

Ita factum mox, ut felici fato ad *splendidissima munera sacra aulæ Regiæ*

(q) Constitutiones œconomicas Alliacenas pro reformatione illius Convictorii, aut Stipendiatorum Regiorum in Collegio Navarrensi, Theologiæ candidatorum, in memoriam antiquitatis legere qui discupit, adeat *Launojum Tom. I. f.* 81. 82. 83. Quarum inscriptio hæc est: *Noverint universi, quod die 23. Sept. Anni 1384. facta fuerint quædam regulæ & ordinationes & observantiæ, per Theologos de Campania seu Navarra, & quemlibet eorum compromissæ & approbatæ, per Magistrum nostrum Magistrum Petrum de Alliaco ac per Provisorem collegii constitutæ & ordinatæ.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Regiæ & Academiæ eveheretur. An. quippe proximo 1389. ætatis 39. impetu quasi in eum facto majores honores cumulatim in eum devoluti.

Academiæ namque *& Ecclesiæ Cancellarius* solenniter *constitutus.* *Cancellarius.*

Nec non *in Aula regia* ad utramque spartam venerabilem & *Eleemosynarii Regii* (r) & *Confessionarii Regii* evectus. *Eleemosynarius regius. Confessionarius regius.*

Sic *Academiæ* caput, & *aulæ* decus, utrobique magnis admotus negotiis. (s) Quæ tanta *animi constantia*, *fide*, ac *prudentia* confecit, ut majoribus semper & rebus & honoribus dignus deprehenderetur. Deseruit itaque in Domo & Collegio Navarrensi Præsidium sive Rectoratum, ad *altiora munia* promotus. In quo suo pristino officio *successorem* vidit *Ægidium Campensem*, Theologiæ Doctorem, pari honorum passu cum Alliacensi incedentem, qui & cum Alliaceno Episcopus & Cardinalis tandem evasit.

A. 1391. d. 27. Maji *Ecclesiæ Cameracensis* major *Archidiaconus* factus & in Capitulo receptus: Nondum auguratus, hanc viam fore ad Episcopatum, quem proxime adipisceretur. Ut futura latent, quo virtuti amplius exercendæ relinquatur locus, sub spe præmii virtute digni. *Canonicus Archidiaconus Cameracensis.*

A. 1392. Auditorem antea suum, cum Domui adhuc præesset regiæ, *Johannem Gersonem*, *Theologiæ Magistrum* aut *Doctorem* creavit, adeoque propius sibi jam junxit, (t) quocum paulo post collegiali *Gersonem creavit Doctorem Theologiæ.*

(r) Non immemor fuit Collegii Navarrensis ad magnam hanc dignitatem evectus. Quandoquidem effecit, ut *vini reditus* in isthoc Convictorio Regio augerentur, *Launojo* observante *Tom. I. f.* 84. *Petrus Alliacus*, inquit, *cum circa annum* 1388 *factus esset regi ab Eleemosinis*, *destinatam ad emendum vinum pecuniam augeri curavit.*

(s) Launojus Tom. II. f. 469. *Tot diversis occupationibus par unus esse potuit ALLIACUS, qui parem suo tempore nullum habuit. Omnibus omnino anteponendus, quem comparare nemini licuit. Sic modo in schola, modo in aula versatus, utriusque mores ad propria honestatis officia composuit. In schola cujuslibet Magisterii lauream decernit, factiosos legum severitate coërcet, emergentes errores a finibus Collegiorum exterminat, errantes cogit ad palinodiam subscriptione ac professione veritatis. In aula regiam stipem inopibus summa integritate & prudentia distribuit: Qualis & quanta sit apud Deum beneficentiæ vis atque efficacitas, omnibus & maxime principibus viris instillat, & demum familiarem reddit misericordiam, quæ palatiis ignota virtus esse consuevit. Caroli confessionem frequenter excipit, ei pœnitentiam fideliter administrat, vitæ emendationem suggerit, haudquaquam æmulatus, ceteros ad imitandum Regis exemplum invitat, & piis opusculis fugienda esse vitia & colendas ex animo virtutes docet: Sed in omnibus fœdum aversatur crimen aulicæ servitutis.*

(t) Dulce hoc fatorum augurium in Gersone notavit & *Launojus* ad A. 1392. *Tom. II. f.* 481. *Illuxit tempus illud, quo factum est fundamentum, cui innititur mutua inter Præceptorem Alliacum & discipulum Gersonem amicitia; Ut Præceptor talem discipulum, sic & discipulus talem Præceptorem invenisse gloriaretur. Profecto considerata re, dici vix potest, uter utri plus attulerit honoris ac dignitatis.*

Gersonem ab Alliaceno & *Licentiatum* & *Doctorem Theologiæ* creatum, ipse notavit Gerson in *Præf. libri de Vita Spirituali*, quem inscripsit Alliaceno, *Tom. III. op. f. LX. lit. S.*

Sane

giali vinculo junctus amicissime victurus (*u*) & gravissima Academiæ & Ecclesiæ negotia tractaturus erat.

A. 1393. Cum *Petrus de Luna* Cardinalis, Pontificatui summo proximus, Legatus Clementis VII. *Parisiis ageret*, sub Academiæ tunc Rectore Clemangio, *Legationi* tunc *ad Regem missæ* de unione Ecclesiæ paranda quin *interfuerit* nullum dubium. *Colloquiis* etiam cum Cardinali Petro de Luna non sine acerbitate eo tempore habitis quin *præsens* fuerit, plane non dubitandum.

Legationē ad Papam Clementē declinavit.

Invitati mox à Clemente Pontifice Avenionensi *Petrus de Alliaco* & Ægidius Campensis, Collegæ, qui *Avenionem* se conferrent, quibuscum Papa de rebus prioribus Ecclesiæ pacem concernentibus consilia iniret. Verùm illi cautiores *ire ad Papam renuerunt*, vim aut insidias ejus veriti.

Insidiæ Papæ Clementis Alliaco structæ.

Quæ obsequii negati causa eas *Petro de Alliaco* & universæ Academiæ creavit *molestias*, ut vix ac ne vix quidem superandæ viderentur. (*x*) Certe hoc Pontifex suis corruptionibus in aula regia effecit, ut Regis animum ab Academia avertisse videretur. Quem delini-

---

Sane quod *Gersonis* hæc *gloria* haud esset postrema, quod *Petrum de Alliaco* nactus fuisset *Præceptorem*, idem Alliacum Cardinalem appellaturus, communiter & *præceptorem* suum, magno elogio mactatum, nominavit. Ita in epistola quadam, Tom. III. Op. f. 71. ult. *Placuit*, inquit, *humili charitati reverendissimi Patris ac præceptoris mei præcipui, quem circumspectione & discretione fidelissima præditum esse nullus negat, qui eum cognoverit. Is est Cameracensis Episcopus &c.* Et sic alibi centies.

Simile *gloriæ Alliacenæ* momentum habitum apud posteros, quod *Gersonem* habuisset *auditorem*. Sicuti in titulo Operum Alliaci A. 1490. Argentinæ editorum id diserte notatum.

(*u*) Frequens *literarum quoque fuit commercium inter Alliacenum & Gersonem.* Quales *epistolæ* quædam servatæ in eorum operibus. Inscripsit etiam Gerson varia opuscula Alliaceno. Sic inter alia etiam Gersonis carmina est Alliaco submissa *de vitæ miseria*, quod sic incipit:

Petre, quem totum phronesis replevit,
Somnium cur non miseram vocemus
Plurium vitam? An caret sopore Cor vigilantum? &c.

(*x*) Petrus Puteanus Histoire du schisme les Papes tenans le siege en Avignon, p. 222. *Il y eut entre le Cardinal de Lune Legat & l'Université de Paris d'assez facheuses paroles. Ceux de l'Université luy baillerent une proposition assez rude. Luy y répondit plus rudement, & leur defendit de l'authorité Apostolique, de n'user à l'avenir de tels discours. Ce qui les offensa. Le Pape sur ce debat écrivit au Roy, le pria de luy envoyer Pierre Dailly & Gilles des Champs, Docteurs en Theologie, de tres-grand nom. Quand ils eurent avis du dessein du Pape, il dirent librement, qu'ils n'iroient pas, craignans, qu'il ne leur fût fait injures. Par là le Pape reconnut combien les esprits de ces Maîtres en Theologie étoient aigris, & qu'il n'y gagneroit rien, changea de dessein, se tourna vers les grands, & ceux qui étoient prés du Roy, envoya gens avec de l'argent & des presens, & tirans à luy par beaucoup d'obligation de Duc de Berry. Fut cause, qu'il se joignit avec son Legat de la Lune, & uni qu'ils furent firent mille peines à l'Université.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

delinire magni erat laboris. Idque consilium *Academia* in tantis periculis inire coacta, quæ *omnes suas functiones* tantisper *deponeret* ac à docendo prorsus abstineret, donec Rex votis Academiæ annuisset.

Ita *Petrus* etiam *de Alliaco Cancellarius*, in quem præcipua cura devoluta, *officium suum* interea cum ceteris *deposuit*. Quæ profecto fata quam onerosa fuerint *Alliaceno* nostro, utpote *Academiæ capiti*, Cancellario ac Regis Confessionario, haud conjectu difficile. Cum adversus curiam supremam pugnare, sit periculis plenum opus tractare. Et *fortunam* itaque & *vitam pro Academiæ salute* tunc *exposuit* Alliacus. *Officium ad tempus deposuit.*

Circa A. 1394. *Capellæ regiæ* Parisiis *Thesaurarius* factus, sive *Collegii* illius *Canonicorum princeps*. Quam præclaram dignitatem *quadriennio* prope tenuit. Nec hoc beneficio remere ac sine fructu publico frui fas esse judicavit. Quare quandam & *illius Collegii reformationem* procuravit, ut Capellani sacra diligentius & decentius facerent. *Canonicus Parisiensis factus.*

Defuncto hoc anno Avinioni Papæ *Clementi VII.* succedens *Cardinalis Petrus de Luna, Benedictus XIII.* & Academiæ & inprimis nostro *Petro de Alliaco novas* simul *creavit curas* & molestias, ad finem usque vitæ duraturas, levi licet interdum respiratione & magno honoris incremento mitigatas.

Erat nempe statim, antequam Petrus de Luna electus esset Papa, à Rege Avinionem ablegandus unà cum aliis Regiis Legatis ad Cardinalium Collegium, nisi Dux de Berri obstitisset, nostrumque ab hac *prima legatione* liberasset: Quando coram Rege verba faciens in Senatu, hos legatos quidem esse aptissimos huic negotio dixit, verùm, cum de Cardinalium animo constaret, se videre, legationem hanc fore feliciorem, si Ecclesiasticæ personæ ad hanc non admitterentur, sed civiles solùm, qui non nisi jussa Regis exequerentur. Idque suasit, quod Confessionarium Regis & Academiæ Cancellarium, Alliacum, in curia Avinionensi non fore acceptum judicaret, utpote qui Academiæ Parisiensis consilia moderaretur. *A prima difficili ad Cardinales Avenionenses legatione liberatus.*

Cum brevi electus esset Avinioni *d. 28. Sept. Petrus de Luna, Benedictus XIII.* cognominatus, hic missis ad Regem & Academiam Parisiensem nunciis, pollicitus est, se pacem Ecclesiæ sectaturum. Quod Regi & Academiæ perplacuit, qui considerent, ex animo hoc dici. Quapropter Academia Parisiensis *sub moderamine Cancellarii Petri de Alliaco* ad novum hunc Papam sine mora legatos misit, qui ad unionem Ecclesiæ sectandam calcaria adderent, modumque explorarent. Qui Avinioni à Papa tam benigne & comiter excepti, ac de sollicitudine Benedicti pro schismate Papali componendo tam certi facti, ut apparebat, ut læti reverterentur Parisios, promptamque Papatui cedendi voluntatem Benedicti nunciarent. *Legatos Academia ad Papam instruxit.*

Hæc Academiæ cum Benedicto instituta deliberatio, & magna cedendi spes facta, Regem movit, ut par negotium idque perarduum nostro huic *Regio Confessionario Alliaceno* statim committeret, qui *Legationem nomine Regis ad Papam subiit.*

qui *se ad Papam novum Benedictum, XIII. Avinionem conferret*, cum Papa de Ecclesiæ commodis & pace Ecclesiæ Regis nomine acturus. *Subiit* hanc *legationem. Literas à Rege sibi commissas* Benedicto exhibuit, *deque Ecclesiæ tranquillitate* in illo dudum jam continuato Paparum schismate *apud Papam egit. Benedictus*, qua erat calliditate, simulandi artis peritissimus, magnum suum erga unionem Ecclesiasticam affectum testatus, *Cancellarium nostrum, Legatum regium, Alliacenum*, ut paulo ante alios Academiæ Legatos, tunc *vicit*, ut fidem verbis habens Parisios reversus de Benedicti impenso in Ecclesiæ commoda animo testaretur. (*y*) Quod tantum effecit, ut sanctior Regis Senatus hunc Benedictum pro Pontifice esse à Gallis agnoscendum definiret. Regis hæc voluntas cum publicaretur, officium datum magno *Doctori Alliaceno* orationem publicam in hanc rem habendi. (*z*)

Quandoquidem serio hoc magnoque studio jam agebat Rex, ut, cum promptus videretur Papa ad dissidia Ecclesiastica componenda, suam etiam ad extremum cessionem obtulisset, de via dispiceretur in curia Parisiensi & modo finem illum quantocyus obtinendi: ideo *magnum Parisiis* congregavit *Senatum*, curate deliberaturus de magno hoc Ecclesiæ negotio. Inter Archi-Episcopos, Episcopos, Abbates, Religiosos & Doctores, ultra quinquaginta in Palatio præsentes, sub præsidio Patriarchæ Alexandrini Simon de Cramault, comparuit & noster *Alliacenus, cum ceteris legatis Regiis* & Academiæ Avinionensis, *qui promptitudinem Benedicti ad pacem, ad cedendum etiam Papatui, publice exposuerunt.* Ita cessionem urgendam esse, votis 87. est conclusum, quæsitumque, quo pacto utriusque Papæ cessio impetrari & effici posset.

Pro Benedicto XIII oratione habuit in Senatu regio.

Non potuit non anceps hoc negotium, *Benedicti causam agendi*, parere vel augere invidiam aut odium illorum, qui tam in aula quam in Academia Benedicti artes callidumque ingenium intimius perspexerant, indeque Benedictum repudiatum malebant. Quæ occasio utique ampla fuit æmulis, qui virtutem fortunam ac lucem Alliaci obli-

(*y*) Dupuy in Historia schismatis p. 229. *Le Roy ayant sceu la deliberation de Benedict, luy envoya son Aumoniez P. D' Ailly, grand & celebre Theologien, qui eut audience, & eut pareille réponse que l'Université, continuant toujours au bon dessein qu'il avoit à la paix de l'Eglise. Mais bauconp croyoirent, que ce fut une feinte.*

(*z*) Launojus Tom. II. f. 470. *Carolus* [Rex] *illum* [Petrum de Alliaco] *A.* 1394 *ad Benedictum XIII. qui Clementi VII. successerat, misit, de sancienda Ecclesiæ concordia tractaturum. Benedicto regis literas dedit, cum eo de pace tractavit, & reversus Parisios, quam bene affectus erga Ecclesiæ concordiam Benedictus videretur, exposuit. Quibus ita constitutis, in sanctiori Regis consilio fixum ratumque fuit, denegandam non esse Benedicto obedientiam, sed ei tanquam vero & legitimo Pontifici parendum. Tunc decreta est supplicatio, cui Duces Bituricensis, Burgundus, Aurelianensis & Borbonius interfuerunt. Rex in ea memoratam obedientiam publicari voluit, & à Doctore nostro* (Petro de Alliaco) *concionem haberi, cujus thema fuit*, Benedictus Deus qui dedit voluntatem in cor regis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

obliquo jam ante intuerentur oculo, eum deferendi atque carpendi. Sicut virtus nunquam caret insidiis. Individuus namque comes invidia. Huic facilis contingit detrahendi ansa. Quale *cum æmulis certamen* nostro non defuit Alliaco, sua virtute ad magnos honores enitenti. Quanto verò magis vellicatus ab æmulis, theoninoque dente arrosus, tanto & *virtus ejus enituit clarius*, & gloria crevit uberius, nominisque splendor effulsit illustrius. Luculentissimus testis hujus *Alliacenæ cum invidis æmulatoribus pugnæ* est in ipsa hac palæstra eodem tempore exercitatus clarissimus atque *elegantissimus Clemangius*, qui exemplo *magni in Alliaceno animi*, se adversus similes *æmulorum insultus* munire, serenamque frontem ejus intuitu sibi in adversis conciliare solebat. *Petri, Ecclesiæ Parisiensis Cancellarii*, scribit Clemangius ad Benedictum, *ipsa quoque insignis virtus multa est improborum æmulatione sæpe lacessita. Quem plane alterum lumen nostri ævi dicere non dubitaverim, quicquid de suo nomine detorquere maledica perversorum lingva studuerit.*

Ab æmulis lacessitas.

Invidiam virtute & honore superavit.

Quod igitur hoc tempore frequentes à Rege & Academia ad Benedictum XIII. & vicinos Reges, ut ad cessionem Papa invitaretur, darentur literæ, Nicolaus quoque Clemangius Benedictum serio & graviter ad unionem Ecclesiæ sectandam admonens, consilium primum *Papæ* suggessit de *Petro Alliaceno sibi devinciendo* atque in consiliorum consortium trahendo. (*aa*) Qui sane nutus hoc effecisse appa-

Pontifici Benedicto impense commendatus.

(*aa*) *Sunt*, [scribit Clemangius ad Benedictum Papam, ut habetur in MSCto WOLFENBUTTELENSI,] *multi bonæ voluntatis homines, & propterea pacis amici, quemadmodum cœleste oraculum est: Pax in terra hominibus bonæ voluntatis, qui tibi adjutores erunt, seque felices ac beatos putabunt, & in hoc se natos gloriabuntur, si in hujus rei saluberrimæ agitatione aliquo tibi utili ministerio possint famulari. Quorum, ut existimo, operam non aspernabere. En habes inter viros egregios virum literis eruditissimum, fide, prudentia, probitate commendatissimum, & Zelo unitatis Ecclesiasticæ ardentissimum, Petrum, Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis, & regiæ Francorum eleemosynæ ministrum, virum itaque, ut breviter dicam, te tuisque moribus dignissimum: Cujus ipsa quoque insignis virtus multa est improborum æmulatione sæpe lacessita, & quem plane alterum lumen nostri ævi dicere non dubitaverim, quicquid de ejus nomine decerpere maledica perversorum lingua studuerit. Hunc in pacis consiliis adhibe participem, in laboribus consortem, in negotiis omnibus adjutorem. Hunc dilige, cole, amplectere. Huic quasi alteri tui omnia committe. Et procul dubio non falleris, nec te talem ministrum elegisse pigebit.*

Quæ *Alliaceni* nostri, eruditissimi Academiæ Professoris & solertissimi Cancellarii *commendatio* vehementer æmulos ejus irritaverat. Adeo ut cogeretur Clemangius tum se tum Alliacenum adversus contumelias invidorum dentatas peculiari sed elegantissimo vindicare scripto. Ex quo, ad ductum MSCti WOLFENBUTTELENSIS, *aureolas Clemangianas* pro Alliaco vindicias repetere æquum & integrum fuerit. *Ad unum venio, ait, quod multum mei censores contra me exaggerant. Ajunt, me in laude illius clarissimi ornatissimique Viri* [Petri de Alliaco] *quem circa finem epistolæ aliquantulum commendavi, & nimis & supra quam justum fuerat excessisse. Scire velim, amici carissi-*

Benedicti in Alliacenum affectio.

apparet apud Papam, ringentibus licet æmulis, ut *Petrum de Alliaco, ab Academicis turbinibus abstractum*, muneribus majoribus ornandum, sibique arctius devinciendum statueret.

Qua-

carissimi, qui ita rationis virtutisque meditullium in rebus omnibus observandum censetis & minimos quosque recessus à recti ut ita dicam centro acie subtilissima deprehenditis, unde sit excessus iste profectus, à laudatine indignitate, quem non tales tantasque promeritum volui laudibus extollere, an ab improvida mente Laudatoris, à quo inconsiderate vel indiscrete, nec juxta præscriptam laudandi formulam laus illa effusa est? An certe, quod tertium restat, assentandi studio feci quod Satyricus ait, Laudat sermonem indocti & faciem deformis amici,

Et longum invalidi collum cervicibus æquat
Herculis Anthæum procul à tellure tenentis.

Puto, assentationis me vitio ex moribus abunde purgatum, quod inter universa alia maxime detestor. Quare de duobus tantum primis nobis sermo superest. Et si quidem à laudatæ personæ tenuibus meritis nec tanta commendatione dignis excessus iste oriri dicitur, præter spem mihi res evenit, qui non hoc pro crimine mihi objici expectabam, vel quod indignam personam laudassem, vel talem virum nimis laudare potuissem, quem satis pro sua dignitate laudare non me posse credebam. Verebar quippe, laudes tanti viri amplissimas culpa potius mei ingenii, sicut de Agrippa Flaccus ait, anguste & parce laudando deterere, quam pro suis claris virtutibus digne exprimere. Et si de aliquo adversario vel obtrectatore mihi forte aliqua incidisset suspicio, ne illam insignis viri laudationem velut immoderatam reprehenderet (talibus quippe laus magnorum virorum solet displicere) nunquam tamen de vobis id essem suspicatus, qui & illum probe cognoscitis, & nisi fallor æstimatione etiam diligitis. Nihil est autem quod mihi dicatis, propter ingentem æmulorum turbam, quos infestos habet, laudes ejus aut taceri habuisse aut pareius exponi. Semetipsam hæc confodit ratio, in oppositumque quam in propositum magis revolvitur. Si enim complures sunt malevoli, qui stimulis invidentiæ agitati, laudes illius obterere, nomen obfuscare, famam supprimere, virtutes extenuare, gloriam extinguere, diu noctuque mendaciter non desinunt: Quare non erunt, qui hæc ipsa veridica commemoratione recensere audeant? Qui sincere ac fideliter zelum ejus & clara merita prædicando fictas certant evacuare criminationes. Audebunt maledici virtutis oppressores vipereis linguis virus sui serpentini pectoris in virtutem evomere, & sese ipsa tueri non audebit, & nobis suis illam præconiis ornare, suis titulis illustrare, vetabitur? Virtutem nimirum, amici optimi, si ita sentitis, obruitis, parricidioque impiissimo jugulatis. Dum nudam atque inermem sine ulla ope aut præsidio inter dira hostium tela relinquere vultis, undiq; in illam bellum movebitur, omni ex parte hostes irrumpent, furore truces, odio acerbi, impetu terribiles. Et quomodo inops auxilii inter tantos possit insultus subsistere? Sane, quo tetra inimicorum cohors amplior, acrior, infestior est, hoc virtus, cui insidiatur, in arcem sublimem magis attolli eget. Non contractis secum omnibus suis copiis, omnibus armis atque auxiliis, ornamentis videlicet, laudibus ac titulis, quibus tanquam præsidiis ac munimentis circumvallata, hostium incursationem ex alta ac tuta sede despiciat? Denique si virum hunc egregium, cujus similes anni nostri raros habent, quos quidem viderim, imo qui nostra nebulosa tempora tanquam clarum aliquod sidus illustrat, me laudare non vultis, quem laudari in terris dignum ducetis? Non video in literis & copia doctrinæ, in singulari & circumspectissima providentia, in solertia mirabili, in vitæ honestate, morum gravitate, fidei integritate, in dictorum simul ac factorum librata moderatione, in caritate denique patriæ, amore Ecclesiæ, reipublicæ zelo, quem illi prælatum putem. Vos, si aliquem hujusmodi

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quapropter mox A. 1395. 4. *Non. Aprilis*, ab Academia & magnis ac difficillimis aulæ functionibus, Cancellariatu præcipue, est avocatus, atque ita ab intricatissimis cum Papa Benedicto in curia & Academia negotiis liberatus, *Aniciensis Episcopus* factus, *annos natus* 45. Gersone facto Cancellario. *Ab Academia emigravit. Episcopus Aniciensis.*

Mox *anno* 1396. 4. *Non. Junias* Ecclesiæ *Cameracensis Episcopus* evasit, Benedicti XIII. (*bb*) auxilio atq; beneficio. *Cameracensis.*

Valu-

jusmodi nostis, exprimite & laudabimus eum. Si hæc, quæ dixi, vobis ignota sunt, quare ante lucidam rerum investigationem contra me sententiam profertis, ignari judices? Sin autem ea falsa asseveratis, cum ego contra affirmem vera esse, non idonei profecto judices in hac controversia esse potestis. Litem vestram ad alios transferri atque ab aliis terminari oportuerat. Quid igitur in hac causa judicii tribunal tenetis? Tolluntur quotidie ad cœlum mirificis laudibus homines immeriti atque inutiles, & qui recte inter illos computari possunt, qui apud Horatium dicunt: Nos numerus sumus, fruges consumere nati. Quis ergo non videat, quam iniquum sit, aliquem singularis excellentia ac meriti virum satis mediocriter & temperate nolle commendari? Restat, ut de me pauca loquar, quem hujus nimis honorificæ, vestro judicio, commendationis, plus quam commendati personam, sicut mea quidem fert opinio, accusare voluistis. Malo etenim in mei calumniam hic error refundatur quam in illius injuriam aut famæ læsionem. Quia hic solùm rei modus culpatur, ibi res damnatur, veritas arguitur, persona quodammodo infamatur. Non inficior equidem facile evenire potuisse, ut in laudandi forma ab illa perfectione, rectitudine paucis imitabili, quam Cicero aut alius magnus orator tenuisset, gradum longius abscedendo, detorserim, cum illam attingere non esset meum. Fateor, si vultis ita, inconsiderate, imprudenter, indocte, & inornate per me esse laudatum, dum vere tamen laudatum concedatis; Pluris enim apud me est veritas, inelegans etiam atque inculta, quam ornata & palliata mendaciis. Sed tamen doceri à vobis magnopere cupio, in quo tam graviter erravi aut deliqui, quo alias sim in cavendis erroribus instructior. Peto ergo per vos mihi exponi ni vobis onerosum est, in quo tam inscite tamque ignoranter ab artis regula & traditione deviaverim. Credideram per artem agere: Cum laus, secundum artis ipsius eximios præceptores, ex tribus ducatur, ex animo, ex corpore, ex rebus externis; Duobus primis omissis, ex quibus satis exigua pendet laus hominis: Quoniam nec per se ipsa bona sunt, nec homini tam à se ipso quam à natura vel fortuna vulgari hominum locutione proveniunt: Laudes illius ex animi potissimum dotibus, ex virtutibus videlicet, intellectivam, affectivam potentiam perficientibus, expromendo. Quanquam non ignorabam, in titulos ejus non inconvenienter adduci posse quod ait Poeta: Gratior & pulchro veniens è corpore virtus adjuvat. Sed exteriorem hominem laudare, parum ad rem arbitratus sum pertinere. Malui nempe hominem laudare, quam vas hominis. Quid de auri pretio vel bonitate testeum vas, si in eo recondatur, adimit? Quid eburneum vel Corinthium addit? Sic me Cicero laudare docuerat. Sic à præclaris oratoribus præstantes viros laudari solere memineram. Nescio si forte ars alia apud vos sit, aut contraria vobis sint præcepta. Et si sint, proferte illa, ut à vobis discamus, quod à Cicerone non potuimus, satis sapienter & irreprehensibiliter homines laudare, genusque causæ demonstrativum, quod in laude vel vituperio consistit, peritius atque accommodatius de cetero tractare. Quod autem minus ornate minusque eleganter, si id etiam forsan reprehenditis, laudes illius effudi, mihi per vos venia danda est: Feci quod fas erat, egi quod potui. Libenter melius atque aptius egissem, sed nescivi.

(*bb*) *Benedictus hic XIII.* Avinionensis Papa, *Petrus de Luna* aliàs dictus, utique *promotor*

In magna fuit gratia apud Benedictum.

Valuit hujus nostri *Episcopi Cameracensis autoritas* tantum *apud Benedictum*, ut quod desideraret impetrare ab eo posse videretur. Quod intelligeret Benedictus, tantum virum omnibus modis esse in suas partes trahendum, præcipue cum nosset, opus sibi esse talium virorum consilio.

Commoda Ecclesiæ Gallicanæ quæsivit.

Hac igitur in Benedictum fretus fiducia, literarum studia in Gallicanis Ecclesiis sedulo promoturus, *hoc egit apud Benedictum*, (cc) *ut in omnibus Metropolitanis aliisque Ecclesiis constituendis definiretur Theologus*, certa præbenda ornatus, qui sacra doceret. Annuit quoque votis Benedictus. Placuit *Parisiensibus Theologis* hoc in Ecclesias Gallicanas Alliaci Episcopi studium, ac pro Theologis constituendis apud

motor nostri *Petri* extitit, quem ad Episcopatum Aniciensem atque Cameracensem eveheret. Id quod non solùm arguit illius temporis status, quo in Gallia nullus adhuc alius præter Benedictum admittebatur Papa, qui de Ecclesiis disponeret: sed & arctius jam quoddam Petri nostri cum Benedicto ex frequenti legatione regia & familiarissimis colloquiis vinculum testatur. Præterea *in Ecclesia Cathedrali Cameracensi* in tabula publica, quæ defuncti Alliaceni monumentum refert, id aperte commemoratur his verbis: *A Pontifice Maximo BENEDICTO XIII. ad Aniciensem Episcopatum promotus, & post sesquiannum ad Cameracensem Ecclesiam jam septem mensibus ab Andrea de Luxemburgo decessu vacantem translatus.* Quod irrefragabile est testimonium publicum.

Memoria proinde facile lapsus *Joannes Launojus*, *Parisiensis Theologus*, *Parte II. Historiæ Collegii Navarrensis f.* 471. qui à *Bonifacio IX.* ad Episcopatus laudatos promotum Aliacenum prodidit.

Posthæc ipse noster *Alliacus* hoc suæ promotionis beneficium diserte tribuit *BENEDICTO XIII.* in epistola *ad illum* data *Januæ A.* 1408. 28. *Jan.* quæ habetur in *Operibus Gersonis Tomo IV. fol.* 8. *lit. Z. ed. Argent.* 1502. his apertis verbis: *Compellor ad Ecclesiam vestram Cameracensem reverti, in qua multi de grege Christi, cujus regimen mihi indigno à Sanctitate Vestra commissum est, meam non æquanimiter ferunt tam diuturnam absentiam.* Ubi non dissimulandus typographi lapsus, quo seductus videtur Launojus, ut Bonifacio hanc Alliaci ad Episcopatum promotionem tribueret, quæ Benedicto debetur. In subscriptione quippe epistolæ pro Benedicto substitutus Bonifacius, hoc ordine: *Hæc epistola missa fuit de Januæ per me Petrum Episcopum Cameracensem*, 26. *Januarii A.* 1408. *secundum usum Romanæ Ecclesiæ Domino Bonofacio Pa. XIII. tunc cum suis Cardinalibus existente in portu Veneris & adversario suo cum suis AntiCardinalibus in civitate Lucana.* In quibus pro Benedicto illapsum esse Bonifacium manifestum est. Quia Bonifacius jamdudum tunc defunctus, isque IX. non XIII. fuerat: *Gregorio cum Benedicto* tunc contendente.

(cc) *Benedictum* & hunc fuisse Papam, quippe à quo erat promotus, quique in Gallicis Ecclesiis unus adhuc valeret, apud quem Alliacus Episcopus de illo in Ecclesias Gallicanas beneficio sedulus egit, res ipsa docet. Ut lapsum memoriæ & hic in *Launojo* æquissime feramus, qui *Bonifacio IX.* rem hanc quoque omnem tribuit *Tomo II. Hist. Colleg. Nav. f.* 472. Cujus enim memoria tam fida in immensa rerum longissimo temporis intervallo disjunctarum mole, ut nullibi cespitet, nullibi hæsitet aut impingat? Ut verò res plane constet, quodnam fuerit quæsitum illud beneficium, hæc *Lau-*

apud Papam negotium tantopere, ut *publicas* illo nomine *Alliaco agerent gratias*, interprete Facultatis Theologicæ Gersone, Academiæ tunc Cancellario, in hoc munere Alliaci successore.

Verùm decretum aut *constitutio* hæc *salubris effectum diu non vidit*. Quoniam, per Benedicti utique fata dubia mox secuta, hoc negotium prorsus interruptum. Id quod *Gerson*, *in Cancellariatu Parisiensi successor Alliaci*, anno 1408 in Concilio Provinciali Rehmensi publi- *Beneficiũ partum ſi terum expiravit.*

Lannoji sunt verba: *Gratia & autoritate qua multum valuit apud Bonifacium IX. [Benedictum XIII.* scribendu] *egit, ut esset in Galliæ oppidis, Episcoporum sedibus & quibusdam aliis, qui Theologiam doceret. Speravit enim hoc modo futurum, ut instaurata recte vivendi sentiendique doctrina errores, quos nefandum schisma & infinita propemodum vitia, quæ labentes seculorum vices importaverant, facilius abolerentur, homines q., & cumprimis Ecclesiastici, meliorem ad frugem redirent.* Clarius hæc universa patent ex *Theologicæ Facultatis epistola ad Petrum de Alliaco Cameracensem Episcopum*, qua gratias agunt Cameracensi pro parto hoc apud Benedictum Theologorum honore ac beneficio. Est illa hæc: *Reverende Pater in Christo & domine præstantissime. Non nos fugit, quanta subjaceremus culpæ, si vestra beneficia, quibus corpus nostrum nunc lætatur, silentio suppressa transiremus. Beneficia certe suscepto, si creditur Senecæ, is qui suscipit, profiteri debet gaudium, & id tam facere manifestum, ut fructum præsentem capiat. Quodsi dissimulet gratias agere, nonne turpissima labe matris vitiorum omnium ingratitudinis, toti mortalium generi odibilis, depasci interius ac rodi jure existimatur? Vestrum beneficium nobis nuper impensum, apud vos potius prædicandum quam effusius referendum arbitramur. Ne narratione rei optimè cognita benignas vestræ paternitatis aures inimico fastidio afficiamus. Jam enim, nisi fallimur, præcurrit orationem nostram vester animus omnium prudentia copiose pollens, & de beneficio nostræ facultati per vos impenso in annectendo officium lectoriæ sacrarum literarum uni præbendæ non tantum in metropolitanis Ecclesiis, sed & suffraganeis hujus regni aliarumque partium aliquarum. Nec est quod nobis dicatis, Domini nostri Papæ id esse beneficium, non vestræ paternitatis. Siquidem ei jubendi autoritatem adstribimus, & quod vestris precibus omnium benignus exauditor inclinavit. Ingentes ei gratias literis jam egimus, & agemus certe frequenter. Nihilominus non nescimus totius beneficii vos caput fuisse: Vos principium vos finis fuistis: Vester iste labor fuit. Excogitastis modum salubertimum, quo pestibus in Ecclesiæ gremio indigne durantibus obvietur, quo Ecclesiæ languoribus medeatur: Et excogitatum vigilantissimo studio Executioni celerrime mandari procurastis. Quare beneficium hoc universum (quantumcunque est) quod certe maximum est, & vobis attribuendum judicamus, & potiores gratias deberi fatemur. Quas si minus cumulatas referamus, ne quæsumus nobis potius assignetur, quam beneficiorum magnitudini, omnium gratias agentium facultatem excedenti, & aciem ingenii perstringenti. Et certe si bene novimus vestræ paternitatis solertissimam exactissimamque sapientiam, non gratias expectetis, quæ vires superant. Sed his contenti estote, quas gestienti affectu (licet impares) referimus, satisque futurum speramus, si non rei tamen vobis, quod nostras operas vestris commodis ac honoribus non defuturas pollicemur. Nosque universos & singulos vestris voluntatibus morigeraturos spondemus. Altissimi propitiatio vestros gressus feliciter regat juxta vota. Datum in Congregatione nostræ Facultatis apud S. Maturinum super hoc celebrata die 9. mensis Nov. Humiles vestri Decanus, ceterique magistri Facultatis Theologicæ Studii Parisiensis.*

publice deploravit, nostrumque *Alliacenum optimi* illius *instituti nomine* egregie *commendavit.* (*dd*)

Posthæc, cum *ab immensa Cancellariatus Parisiensis Academiæ cura*, & ancipiti ac intricato adversus Benedictum dimicandi negotio esset *liberatus*, in Ecclesia Cameracensi Episcopali functus officio, delitescere tranquillius sustinuit. Interea sub Gersonis Cancellarii directione magnas cum Benedicto concertationes vidit *absens*. Obedientiam, Pontifici aliàs exhibitam, regio edicto Benedicto subtrahi, & A. 1398. d. 27. Julii per Ægidium Campensem, suum olim Collegam Theologum, Parisiis publicari, non sine animi quadam ægritudine accepit. Arma quóque adversus refragantem Benedictum regis jussu sumpta ægro animo volvit.

Absens vidit certamina Parisiensium cum Benedicto.

Donec A. 1403. alia iterum Benedicto affulgeret fortuna, quem Rex Gallorum pro Papa recipiendum pristinaque obedientia de novo beandum decreverat. Quæ non postrema Cameracensis nostri Episcopi voluptas.

Maxime, cum & Alliaco ipsi hæc contingeret sparta, ut Parisiis in magna celebritate *Benedictum XIII. Regis auspiciis restituendum solenniter pronunciaret* ac publicaret, sub certis conditionibus ac Benedicti pollicitationibus, de Concilio præcipue proxime per eum indicendo, ac rebus omnibus controversis in illo conficiendis.

Benedictum restitutum gavisus.

Ex quo negotium mox à Rege datum Archi-Episcopo Aquensi & nostro *Episcopo Cameracensi*, qui ad Benedictum commigrarent, promissorum memorem esse juberent, eumque hortarentur, qui quæ promisisset præstaret. Verum, quod Benedicti animus plane non esse cognosceretur promissa implendi, absque fructu hi legati revocati ac reversi. Ut & Rex alia cepisset consilia, ni Benedictus denuo spopondisset fidem suam de pace omni modo paranda.

Magna religiositas impulit tunc *Alliacenum Episcopum*, ut A. 1405. *Genuæ* agens, oratione publica (*ee*) Benedictum XIII. instigaret ad indicendum, ut *Festum Trinitatis* ubique festivissime celebraretur. Qui-

Festum Trinitatis solenniter celebrari suasit.

(*dd*) *Fiat*, inquit, Tom. II. Op. fol. 42. lit. y. *executio decretalis illius quæ in omni metropolitana Ecclesia scholam Theologiæ constituit. Nec videtur schola mendicantium satis esse. Expediret amplius, ut hæc institutio, cujus quotationem, sicut & aliarum, dominis juristis linquo, extenderetur ad Ecclesias cathedrales & alias collegiatas notabiles: Sicut una præbenda esset ad officium hoc salutiferum specialiter & irrevocabiliter applicata. Quemadmodum Dominus noster Benedictus,* PROCURANTE PRÆCEPTORE MEO INCLYTO DOMINO CAMERACENSE, *constituerat. Sed nescio quo pacto tam sanctum opus è mediis ut dicitur manibus elapsum est. Concedebatur ut legentes & studentes perciperent certis diebus & horis distributiones quotidianas, hac ratione, quæ intendentes temporalibus Ecclesiæ commodis sine ulla contradictione recipiunt.*

(*ee*) Habetur hæc oratio Alliaci, *Januæ* vel *Genuæ* habita, de religioso cultu Festi Trinitatis, in Oper. Alliaci Tom. I. Argent. 1490. Ubi etiam adjecta est ex illa oratione Alliacena nata *Constitutio Benedicti XIII.* de magna celebritate Festi Trinitatis in Christiano orbe imposterum servanda pari cum festo Nativitatis & Resurrectionis Christi gradu. Dat. Januæ, Cal. Julii Anno 1405.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quibus votis Alliacenis locum dedit Benedictus, ut postea hoc festum antea sine celebritate cultum ex decreto ubique religiose coleretur. Quod & in hunc usque diem celebratur.

A. 1406. Cum Galli in curia regia cum Academia Parisiensi hoc sedulo multis congressibus agerent, ut dissidia Pontificum tollerent: (*ff*) Alii ex decreto Regis obedientiam Papæ iterum denegandam suaserunt, quales præcipui erant de Academia Parisiensi: *Petrus verò noster, Episcopus Cameracensis, partes Benedicti tuitus, Concilium Generale multis diebus suasit*, in quo lites illæ Ecclesiasticæ optime sopirentur aut extinguerentur. (*gg*) *Orationē pro Benedicto habuit.*

Tom. I. Pars VIII. Aaaa 2 Retanta

(*ff*) Dupuy p. 297. Les Prelats & Ecclesiastiques de France furent mandez, pour se trouver à Paris à la S. Martin. Il fut question de sçavoir comment l'on travailleroit en cet assemblée. Le Roy en son Grand Conseil ordonna, qu'on élieroit douze Theologiens & Canonistes, dont les uns soustiendroient le faict du Pape, & qu'on ne luy devoit faire soustraction, les autres aut contraire pour l'Université. Cela fait, le Roy avec ceux de son Sang & de son Conseil aviseroit ce qu'il auroit à faire. Cét expediens pleut à tous, & furent choisis les douze suivant l'intention du Roy.

(*gg*) Descripsit hæc fata *Launojus f.* 473. hoc modo: *A. M CCCC VI. quo Pontifices sedebant duo, Avinione Benedictus XIII. & Romæ Innocentius VII. Benedictum alii tuebantur, deponendum alii contendebant, uti Ecclesiasticæ divisionis autorem. Rex autem cum id animadverteret, statuit, eligendos esse viros XII. qua Theologos, qua Juris Canonici Antistites, quorum uni causam Benedicti defenderent, alii verò acriter impugnarent. Quod judicii genus omnibus arrisit. Tunc Cameracensis Episcopus Benedicti factum proposuit, tenuitque & rem esse tanti, ut congregatum ex universa Ecclesia Concilium exigeret, & allatas ab aliis extinguendi schismatis vias nec rationi consentaneas videri nec iniri posse. Hic tractatus MSCtus extat in Bibliotheca S. Victoris & à Joh. Juvenali Ursino indicatur in Historia Caroli VI. Regis.*

Dupuy p. 305. Le onziéme ensuivant, qui parla, le Roy present, Pierre D'Ailly Evéque de Cambray proposa de la part du Pape, & dit, qu'il étoit necessaire, que le Concile Generale de cette obeïsance fust assemblé. Qu'il s'étonnoit, comme ceux, qui avoient parlé avant luy, avoient été si osez, que d'appeller le Pape heresiarche. Sur quoy le Patriarche d'Alexandrie se leva, dit qu'il avoit pû ainsi appeller, en ayant des exemples. Et apres quelques contestation il continua, & dit, que la promesse de Monsieur d'Orleans n'obligeoit Benedict. Que c'étoit une maxime, que les Conciles generaux n'ont point d'efficace, s'ils ne prennent authorité du Pape. Remarque, que quand l'on traitta de l'erreur de Jean vingt-deux de la Vision bien-heureuse, le Roy envoya à la Faculté de Theologie, & non pas à l'Université: Que la Faculté luy envoya 26 Maitres & Docteurs, qui opinerent, & leur resolution fut executée par le Roy. Que l'Université ne devroit point en ce faict prendre une si grand part qu'elle y prend. L'Evéque de Cambray ayant achevé, la compagnie se leva.

Idem p. 308. Le lendemain l'Evéque de Cambray, qui tenoit le party du Pape, dit, qu'il avoit charge de faire deux requestes. L'une, que puisque l'on avoit lu la lettre de la soustraction qu'il supplioit aussi que l'on

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Re tanta ultro citroque expensa, in publico tandem illo consessu definitum: Requiri *Concilium Generale pro reformatione Ecclesiæ in capite & in membris*, & obedientiam Benedicto plane subtrahendam, Ecclesiamque Gallicanam pristinæ libertati restituendam. (*hh*)

Tristis ob regni ex Ecclesia tristia fata.

Anceps tunc regni Gallici erat fortuna, partim ex motibus civilibus, partim ex turbinibus illis Ecclesiasticis, quibus nec consilium nec remedium videretur dari sufficiens. Sustinuit & hanc curarum molem inter alios non postremus, Episcopus Cameracensis, Alliacus, qui magna consiliorum pars erat, adeoque & dubii eventus periculum expectare cogebatur. Non mirum adeo, quæsivisse tunc Alliacum apud amicos, viros doctos ac prudentes, solatii remedia, quibus animum quassatum & in dubia illa rerum civilium ac sacrarum tempestate disjectum refocillaret atque erigeret. Non defuit in hac publica calamitate Alliaceno *Gerson Parisiensis Cancellarius*, qui variis *epistolis* animum Alliaci fessum refocillare atque erigere contendit. Habentur illarum aliquæ *Tom. IV. Operum Gersonis*. Una illarum hoc triste agnoscit initium: *Ex literis binis Tuæ dignationis, Reverende Pater ac præceptor optime, palam facta est anxietas animi tui, eo quod Zelus domus domini & reipublicæ salus comedit te. Vere quicquid video, inquis, mihi grave est & pene importabile. Propterea commovet parvitatem meam tua dominatio, ut de suavi jugo Christi scribam aliqua &c.*

A Gersone solatium quæsivit.

A Clemangio erectus.

Nec defuit cum aliis candidissimus *Clemangius*, hactenus in Benedicti curia magnæ autoritatis Secretarius, verùm ob difficilia & aspera illa fata regni & Ecclesiæ ex curia utraq; digressus. Hic *Lingonâ* pulchellam ac penetrantem dedit epistolam ad Alliacum, Camer. Episcopum, qua in turbis illis Ecclesiasticis, ex Benedicti repudio, nunc revocato, nunc iterum resuscitato, ortis, jactatum Episcopi animum erigeret. (*ii*)

Clemangius afflictus.

Quemadmodum & *Clemangius*, pro amicitiæ jure, in suis adversitatibus, Alliacenis haud minoribus, ab æmulis excitatis, dum ex

l'on leust celle de la restitution. L'autre, qu'ils étoient commis par le Roy pour soustenir ce party, & qu'il en avoit commendement, qu'il n'en pouvoit étre recherché en façon du monde, neant moins qu'il avoit sceu qu'en une congregation de l'Universite on avoit parlé de proceder contre luy, que Jean Petit avoit été deputé de parler sour ce faict, que ses compagnons deputez comme luy n'osoient plus parler, supplia l'assemblée d'enjoindre à l'Universite de ne passer outre, si non en presence du Roy, & protesta d'appeller en cas, que l'on voulut proceder ailleurs.

(*hh*) Dupuy p. 314. Il fut avisé qu'il étoit necessaire d'avoir une Concile general pour reformer l'Eglise tant en chef qu'en membres, & qu'il seroit fait soustraction à Pierre de Lune dit Benedict, & que l'Eglise de France seroit retablie en ses anciennes libertez, & que pour la provision des benefices il en seroit usé comme durant la premiere soustraction.

(*ii*) Habetur hæc Clemangii ad Alliacum Cameracensem Episcopum consolatoria epistola in editione Lydiana f. 104. seqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ex curia Benedicti sponte emigrare ac latibulum contra insidias æque ac calumniarum spicula quærere fuit coactus, Alliaci Episcopi colloquia & consilia enixe ambivit, ex constantia Alliacena & exemplum & animum parem sumpturus. (*kk*)

ctus ab Alliaco afflicto solatiũ petiit.

(*kk*) Dignissima candidissimi *Clemangii ad Alliacum Cameracensem* tunc adhuc *Episcopum* epistola, ex eremo sua apud Fontem in Bosco perscripta, quæ legatur integra. Pingit enim eleganter mutuum utriusque affectum & suave amoris reciproci vinculum. Et est Alliacenæ fortunæ ab æmulis invidisque vehementer exercitæ sed ubique superioris magisque ornatæ viva imago. Est autem in MSCto WOFENBUTTELENSI & hæc inscriptio: *Ad Petrum Episcopum Cameracensem, de desiderio sui colloquii, & super vita cursu, in tantis turbinibus æmulorumque insidiis agendo, sui habendi consilii.* Epistola in isthoc MSCto hæc legitur: *Summo Tua reverendissima meritoque dilectissimæ paternitatis intuendæ desiderio affectus, ceteros nuperrime amicos Parisiis vidi, non minorem passus animo mæstitiam, quod te illic videre non dabatur, quam ex aliorum omnium conspectu compertáq; prosperitate lætitiam mente ceperam. Sed illum ex tua absentia conceptum dolorem certa de tuo felici statu amicorum testimonia lenierunt. Paucis quippe antea diebus te illic fuisse, tum corpore quidem sospitem tum illo tuo erecto animo alacrem atque intrepidum, ajebant. Quod ubi illorum exore perdidici, me miserum, inquam, qui tum non affui, paulóq; ocyus venire properavi! Ut ex illo jucundissimo amicorum numero gregeq; festivissimo unus ille in meo adventu minime defuisset, quem unum maxime adesse optaveram. Multa autem erant, propter quæ tuum desiderabam colloquium. Primum quidem, ut ex te liceret agnoscere, quænam tui de rebus communibus esset animi sententia. Res dico Ecclesiæ regniq; nostri. Quæ etsi multis retro temporibus sævis agitatæ fuerint turbinibus, gravissimaque tempestate disjectæ, tanta tamen nunc undarum moles insurgit, ut prioribus jam conquassatæ insultibus sub tanto rursus ingruentium impetu malorum nullo modo durare posse videantur. Deinde, ut, quisquis ruentem ac præcipitem rempublicam casus exciperet, tuam perspicacissimam solertiam super cursu vitæ agendo, privataq; quantum fas esset in publicis cladibus salute communienda atque tuenda, consulerem. Quamvis enim ex re publica occidente privatæ etiam cujusq; copiæ plerumq; occidere soleant, & ex universali ruina publicóq; incommodo pauca subtrahi possint temporalia bona: Sunt tamen quædam bona excellentiora, quæ nulla vis hominum auferre possit, nulla adversitas vel calamitas eripere, in quibus, non in fortunæ ludibriis, suam sapientes salutem constituunt. Ex te itaq;, quem in numero sapientum, si quid habent sapientiæ nostra merito possunt tempora deputare, magno discere cupiebam affectu, quibus armis instructi, in arcemq; munitissimam præsidiumq; firmissimum rationis ac constantiæ introducti, tantos foris obstrepentes tumultus, tantas minas, tantos furores, tanta undiq; incursantia pericula, quibus mundum quati videmus, ex stabili aliqua possemus specula infracto imperterritoq; animo contemnere. Est postremo & alia causa, etsi minus gravis, non tamen injusta, cur tuum tantopere congressum conspectumq; expeterem: Quod propter generalem malorum sortem, cunctis ex scandalo reipublicæ metuendam, plerique adversum me nominatim acerbissimas his temporibus exercent inimicitias, & hostili in me animo odioq; grassantur. Viderint illi, quam recte hoc faciant. Quibuslibet tamen ex causis hoc susceperint, non immerito te coram affari, teq; etiam super re illa consulere volebam, ut tuo velut cœlesti quodam instructus oraculo sciam, quibus possem artibus aut illorum ferre impetus, aut illudere, aut placando mitigandoque compescere. Ea enim vel præcipua ratio fuit, quare illuc ad visendos amicos ipsorum hortatume contuleram. Quan-*

quam

Defuncto interea Romæ anno 1406. d. 6. Nov. Innocentio, electoque ibi novo Pontifice Gregorio XII. sub conditione cedendi, ad pacem Ecclesiæ conciliandam: Anno proximo 1407. Galli in nova congregatione confirmarunt superius de obedientia Benedicto subtrahenda & Ecclesiis Gallicis libertati pristinæ asserendis decretum, legationemque ad utrumque contendentium Benedictum & Gregotium adornarunt. In horum magno legatorum numero & noster Cameracensis Episcopus ac Gerson numerati. (Dupuy p. 318.)

Legatus ad Benedictum.

His injunctum à Rege, ad cessionem illos pellicerent, eoque fine ad Savonense colloquium utrumque Papam invitarent, ubi utroque cedente novus eligeretur, additis minis: Ni Benedictus obtemperaret, tanquam schismaticum plane ab Ecclesia esse eliminandum.

In qua legatione *cameracensis* noster cum aliis nonnullis legatis regiis, *secreto auditus à Benedicto* d. 17. Maji (Dupuy. p. 327.) consentientibus ceteris. Jussitque Benedictus promissioni suæ de renunciando acquiescere. Hi cum osculo pedum ac oris dimissi.

Secreta colloquia habuit cũ Benedicto.

Die 23. Julii & sequentibus, *cum Gregorii Legatis* multum egit ac *disceptavit Alliacus, ut* Gregorium subterfugientem ad Savonensem tractationem perduceret. (*ll*) Etsi frustra.

Inter hæc cum Benedictus Bullis atrocibus se tueri contenderet, illi observati vel & capti, qui Benedicto faverent. Neque suspicionem effugere potuit cum aliis *Cameracensis Eipiscopus, Petrus de Alliaco,*

Periculũ vitæ vix effugit.

quam plane in hac adversitate domestica una me res magnopere recreat, ad aquioremq; tolerantiam me provocat, quod tecum & tam cum multis aliis clarissimis viris spectabiliq; virtute probatissimis talia ab improbis illata injuste patior, qui adversus probos & innocentes unanimi videntur conjurasse impetu, non ob aliam ut reor causam, nisi quia suis nefariis furiosisq; conatibus adversantur. Hanc enim rationem persecutionis bonorum ipsi iniqui in libro sapientiæ profitentur: Circumveniamus ergo, inquiunt, justum, quoniam inutilis est nobis & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, gravis etiam est nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius. Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi. Et uno generaliter verbo odiosi sunt fere unicuique mores contrarii. Sed inter omnia odia hoc pessimum, quo virtus odio habetur, quæ benevolentiæ & amicitiæ efficacissima auxiliatrix conciliatrixq; esse debuerat, nisi mores sceleratissimi obsisterent. Nec ista quidem propter me dixerim, qui nihil egregium gessi, quam propter te & alios multos magna virtute decoratos, quorum comparatione nihil verius sum, qui nullam adhuc expressam virtutis imaginem, sed nudam & tenuem umbram vix attigi. Sed nescio quomodo ad impares dissimilesq; sibi mores obterendos improborum semper exardescit studium, & quos aut natura oderunt, aut imitari nolunt, ne virtutis sibi splendore præfulgeant, vel plane delere contendunt, vel fictorum objectu criminum denigrare. Quanquam quod ad Te pertinuit, tu cunctas illorum insidias quas adversum te moliti sunt, egregie pulcherrimeq; frustratus es, contortaq; per illos in te tela viribus atq; efficacia vacuasti, non hoc solum tempore sed & nunc & semper alias & quoties te oppugnare adorti sunt. Clarior autem illustriorq; tua ex illorum infestatione semper virtus emerserat, dumq; illam labefactare conati sunt, toti orbi celeberrimam reddiderunt. Vale, datum apud Fontem in Bosco.

(*ll*) Dupuy p. 334 & 335.

liaco, Galli verò suum Neutralitatis decretum vicinis Regibus Imperioque Romano-Germanico communicarunt. Et parum abfuisset, quin Alliacus noster difficilia ob favorem in Benedictum expertus fuisset fata. (Dupuy p. 352.)

Coactum tandem anno 1409. ex voto Alliaceni *Pisis concilium Universale*. Hujus pars magna (*mm*) Cameracensis noster fuisse fertur Episcopus, sexagenarius. Vidit tunc utrumq; Pontificem Gregorium XII. & Benedictum XIII. absentes sede moveri, substituique *Alexandrum V.* in Concilio Pisano præsentem Cardinalem. Erant hujus *Alexandri V.* ante Pontificatum *in Pisano Concilio promissa aurea de reformatione Ecclesiæ* à se suscipienda. Quam impense verò ob hæc promissa gavisus cum aliis Alliacus, tam vehementer doluit spem frustratam. Quamprimum enim Alexander V. in sedem evectus, *constitutiones Bonifacianis pejores* aut diriores fecisse deprehensus. Quod cruciavit & Cameracensem nostrum.

Concilium Pisanum vidit.

Alexandri V. artes abominatus.

Sequenti verò anno 1410. cum brevi regimine Ecclesiastico potitus esset *Alexander V. obiit*, locumque occupanti reliquit Cardinali Balthasari, Papæ *Johanni* 23. Hujus *novi Pontificis* æque diras imo adhuc *graviores constitutiones execratus* mox *Cameracensis* cum Gersone.

Johanne 23. ferre non potuit.

Variis scriptis, ab *Alliaco* Episcopo sene & *Gersone* Cancellario hoc *de miserabili Ecclesiæ statu sub novo hoc Pontifice Johanne* 23. editis, tum dolorem suum sunt testati, tum *ex Concilio Universali remedia* esse petenda statuerunt. Hujus generis opuscula *Gersoniana* ac *Alliacena*, hoc anno 1410. scripta, supra *Parte V. & VI. ex MSCtis* exhibuimus.

Ecclesiæ miseriam deploravit.

Maxima præcipue *sollicitudo* utriusque *ex Imperio tunc vacante. Ruperto* namque defuncto, & *Jodoco* vix electo iterum surrepto, Imperatore nullo gaudebat Imperium, nec adeo Ecclesia Advocato suo universali.

Præterquam verò quod *difficultates reformandæ Ecclesiæ ingentes* præviderent, absente Imperatore, hoc vehementer urgere cœperunt: IMPERATORIS ROMANO-GERMANICI ESSE ECCLESIÆ SALUTI INVIGILARE, PACEM ET TRANQUILLITATEM EJUS PROCURARE, AC CONCILIUM UNIVERSALE CONGREGARE.

Imperatoris Romani gloriam tuitus est.

A. 1411. Cum *Johannes* 23. intelligeret, *Concilium universale* SIGISMUNDI Imp. jussu esse *congregandum*, cum præsertim in Concilio Pisano proximo hoc esset definitum, videri voluit hoc agere.

Quod autem in suas partes essent pelliciendi viri quique doctissimi, credidit è re sua fore, si hunc *Alliacenum Episcopum Cameracensem* uberiori dignitatis splendore fascinaret ac sibi devinciret.

Quam-

(*mm*) Launojus Tom. II. f. 474. *Subductis tandem aliquando momentis omnibus, seu quæ Cameracensis Episcopus nervose disseruit, seu quæ perniciosum illud disidium attinent, Anno* 1409. *generale congregatum est Pisis concilium, cujus pars magna, decus atque ornamentum fuit.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cardinalis creatus. Quamobrem hoc anno *Cardinalitiam purpuram* ei sexagenario majori contulit, ratus, (*nn*) hac purpura oculos *Episcopi* hujus *Cameracensis* oculatissimi clausum iri, ne maculas domini Johannis videret amplius. Quamvis autem *Alliacus* jam *Cardinalis* audiret, *integritas* nihilominus *pectoris* non permisit, ut Johanni 23. adularetur. Quin potius data occasione tanto generosius ejus in Ecclesiam injurias detexit, quanto turpius esse meminisset vitia dissimulare ejus, qui corruptione mera turpiorique medio silentium venari, quam sese emendare maluisset.

Integritas animi illibata.

Concilii Romani irritum accepit. Cum proinde anno 1412. Papa Johannes crederet, se & vota publica fallere & spei communi qualitercunque satisfacere posse, si *Romæ* aliquod *Concilium* videretur congregare, hoc negotium aggressus est. Ceterum, cum Gallorum summa inter eruditos capita, *Alliacenus* & *Gerson*, dudum monuissent, *Romæ* vel *Bononiæ* congregandum à Papa Concilium non fore Ecclesiæ salutare ac proficuum, utpote omni dicendi libertate omnino privatum; idemque statuissent, tale Concilium utique esse repudiandum: In Romano isthoc Concilio Johanneo Cameracensis noster non comparuisse legitur. Neque dubium, quin, tametsi Cardinalis, omnes vias elabendi & honeste evadendi quæsiverit, ad Concilium illud Romanum ne migraret. Sicuti & sponte sua mox diffluxit inane hoc Concilium, vix ac ne vix quidem inchoatum.

Mox anno 1413. Cum *Sigismundus Imperator* animadvertisset Johannis fucum & genuini Concilii generalis congregandi vel tarditatem vel neglectum, eundemq; variis legationibus ad *Concilium aliud generale in Germania Constantiæ cogendum* invitasset aut pellexisset: Noster *Alliacus Cardinalis* cum aliis priora vota *de Reformatione Ecclesiæ in capite & in membris* repetere ac fusius declarare cœpit. Inter præcipua illius *in Concilio universali instanti suscipiendæ Reformationis momenta* urgebat Johannis XXIII. nefanda facinora, ob quæ sede movendus esset, novo Pontifice electo.

Reformationem Ecclesiæ urgit.

Legatus Papalis ad Germanos. Quod autem Johannes vel dissimularet hanc Alliaceni contentionem, sibi licet exitiosam, vel nondum vidisset aut legisset, hunc *Cardinalem Cameracensem ad Germanos anno* 1414. *ablegavit. Legatus* igitur *in Germania Junio & Julio mensibus Basileæ* egit, Ecclesiæ negotia curans, Scripturæ simul explicandæ incumbens. (*oo*)

Sub

(*nn*) Dies festivus, quo ad dignitatem hanc Cardinalitiam promotus, designatur à *Launojo f.* 474, & ex eo à *Warthono in Append. Histor. Lit. Cave f.* 70. VII. Iduum Junii. Ast in tabula Ecclesiæ Cameracensis publica *mense Majo* Cardinalis creatus memoratur. Nisi forte hic designatio, ibi publica pronunciatio aut creatio contigerit. Neque tanti refert diem nosse.

(*oo*) Launojus Tom. I. f. 121. *Petrus Alliacus* Anno 1414. *per Germaniam Apostolicæ legationis munere defungitur. Hinc viros & in Ecclesia & in Imperio primarios ad curandam Ecclesiasticæ dissensionis sedationem cohortatur. Inde subcisivis horis, cum versaretur Basileæ, in Ps.* 42. 4. *Id. Junius: In Orationem Dominicam pridie Nonas Quintiles: In salutationem Angelicam* 4. *idus ejusdem mensis edidit Commentarios, quibus homines ad Timorem Dei & pietatem informentur.* Conf. *Tom. II. f.* 474. Habentur hæc opuscula Basileæ scripta *Tom. I. Operum.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sub finem *hujus anni*, cum indictum *Concilium œcumenicum sub cœlo Germanico Constantiæ* congregaretur, illucque jam confluerent cum Papa Johanne 23. Cardinales, ac ex omni orbe Principes & Episcopi, cum infinita nobilium doctorumque aliorumque hominum turba: *Ad* istud *Constantiense Concilium* statim quoque se contulit inclytus noster *Petrus, Cameracensis Cardinalis, sexaginta quatuor annos natus.* *Ad Concilium Constantiense commigravit.*

In principio hujus Concilii, cum Johannes 23. Concilii negotia pro suo arbitrio dispositurus ac aliò deflexurus Hussum ad Concilium pertraxisset, ejusque causam statim aggressus esset, *absente adhuc Sigismundo Imperatore*: Alliacenus apud Papam comparentem aliquoties *Hussum vidit ac audivit.* *Hussum in Concilio audiri.*

Die 7. Decembr. in Congregatione Cardinalium & aliorum Prælatorum *Cardinalis* noster *Alliacus schedulam* obtulit, articulos in Concilio Constantiensi observandos atque urgendos complexam. In quibus hæc quoque sunt momenta: *Obligari Papam, Cardinales, & Prælatos, per Concilium Pisanum, ac per jus naturale & divinum, ut in præsenti Concilio Const. omnibus modis efficiant, ut perfecta ac integra reddatur unio Ecclesiæ, & fiat debita ejus reformatio in capite & in membris.* Deinde, *si qui pertinaciter assererent, præsens Constantiense Concilium esse dissolvendum, aut ejus continuationem in aliud Concilium esse prorogandam, in quo desiderata unio & reformatio perficerentur, in casu, quod in Const. Concilio hæc non fierent, hos esse fautores schismatis & de hæresi vehementissime suspectos.* Porro Concilii Pisani autoritatem esse maximam, & Constantiense Concilium non esse nisi continuationem Concilii Pisani, ut sit una eademque utriusque autoritas, nec opus esse, ut Pisanum prius confirmetur in Constantiensi, eamque petitionem prorsus esse repudiandam. (*pp*) *Argumenta rerum in Concilio tractandarum reliquis Cardinalibus obtulit.*

Paulo post, cum prima omnium sessio Generalis ingrueret, *Cameracensis Cardinalis*, noster *Alliacus*, in Collegio Cardinalium, ad illustrandos superiores articulos, de unione ac reformatione, alios adjecit atque communicavit. Scil. ad cessionem inducendos omnibus modis esse contendentes Papas. Quod si fieri nequeat, prorogandum esse Const. hoc Concilium. Et ad redimendam vexationem multorum, eligi posse aliquos de qualibet Natione, in quos posset transferri tota autoritas Concilii Generalis, sicut aliàs legatur factum. Ex quibus de spontanea quoque Johannis 23. cessione articulus uberius illustratus mox Johanni huic Papæ nomine Concilii oblatus, & prolixius postea diductus & frequenter repetitus, donec ab adventu Sigismundi Imperatoris publice res conficeretur. (*qq*) *Alios articulos pertractandos in Concilio exhibuit.*

Ex quo *Johannes Gerson, Parisiensis Cancellarius, Regis Gallorum*

(*pp*) Habentur hæc omnia integre *in antiquissimo Codice MSCto VINDOBONENSI.* Unde petita alio hujus operis Tomo plene exhibebimus.

(*qq*) Et hæc continentur in laudato *codice MSCto VINDOBONENSI.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cum Gersone familiarissime in Concilio vixit.

rum Legatus ad Concilium venit, conjunctissime Noster Alliacus cum illo vixit. Consiliorum plerorumque uterque particeps, & iniquorum quorundam Concilii fatorum spectator æque tristis. Quæ familiaris conversatio & fida rerum communicatio effecit, ut, cum Gerson, finito Concilio, sententiam suam de rebus fatisque Concilii Constantiensis exponere constituisset, in Alliacum Cardinalem sibi familiarissimum, omniumque rerum gestarum optime conscium, hanc operam devolvere satius judicaret. (*rr*)

A. 1415. cum jam adventasset *Christianissimus Imperator Sigismundus*, lusum in *Brigittæ Canonisatione* publicum primùm spectavit.

Papam Johannē sede moveri vidit.

Posthæc, quod dudum cum Gersone exoptaverat, atque vehementer in Concilio urserat, *Johannem* 23. *sede Papali moveri*, tribus Pontificibus tunc viventibus repudiatis, hanc rem ex voto suo publice jam agi gavisus est.

Quippe quod *in prima publica Conciliari sessione* istius anni, postquam Imperator venerat, *cessio Johannis* 23. enixe dudum quæsita feliciter impetrata est. Dici non potest quantum hoc pepererit gaudium uti Imperatori ceterisque Principibus ac Nationibus, ita & in primis *Alliacensi* nostro Cardinali ac *Gersoni*, qui dudum hoc suaserant & optaverant.

Pericula in Concilio subor-da sensit.

Sed & sensit hoc gaudium turbari artibus Johannis 23. qui, cum se serio throno dejectum intelligeret, ope Friderici Ducis Austriæ è Concilio elapsus varias difficultates Concilio paravit: Imò cruentis bellis ansam sub Concilio dedit.

De fuga Papæ protestatus.

Quare statim *d.* 26. *Martii* in publica sessione noster *Petrus* præsente Sigismundo Imperatore cum Francisco de Zabarellis Cardinale Florentino protestatus est contra fugam Papæ, & Concilium continuandum esse monuit.

Præses alicujus sessionis fuit.

Absente verò è Concilio Johanne, cum decretum esset, Concilium utique esse continuandum, sessionibus institutis, *Alliaceno* per vices *præsidium*, Concilii autoritate, *loco Papæ*, *oblatum*.

Motæ tunc *in primis* illis *sessionibus* quæstiones arduæ, *autoritatem Concilii & Papæ* concernentes, decretaque illis de rebus facta atque publicata, *Alliaceno* cooperante.

Judex causæ Husitica.

Posthæc cum illo anno *Hussus* jam in vinculis detentus produceretur, Alliaceno negotium datum, *Hussum convincendi.* (*ss*)

Sub

(*rr*) In Dialogo Apologetico Gersonis, Tom. III. Operum Gers. fol. 56. lit. z. *Sua fuit insuper Conversatio assidua cum illo præceptore suo, quem sapientissimum & prudentissimum nemo dubitaverit, Cardinalem Cameracensem dico: Poterit illo multo doctius & salubrius, cum autoritatis pondere, super hac re vel verbo vel scripto tradere quæ cognovit.*

(*ss*) Qua animi moderatione in hac cum Husso instituta publica concertatione sit usus, nomine Husitæ alicujus refert ex Bzovio Launojus, f. 474. Examinatis dictis testium, *ait*, & recitatis articulis erroneis in Patrum consessu, Cardinalis Cameracensis judex causæ deputatus à Concilio, dixit ad Johannem Hus: En viæ duæ propositæ sunt tibi, ut ex his eligas unam; Aut

Sub finem ejusdem anni, quando *in Concilio Constantiensi* agitata est jussu Gallorum Regis per Gersonem intricata & difficilis quæstio, duobus annis superioribus 1413 & 1414 Parisiis *in Concilio Gallorum nationali* (*tt*) prolixe discussa, quam Theologus Gallus *Johannes Parvi* moverat, de jure subditorum ac vasallorum in Principem suum tyrannum interficiendum: *Petrus Alliacenus* noster *Cardinalis Cameracensis* illam Johannis Parvi sententiam tanquam impiam ac in Principes injuriosissimam solenniter damnandam statuit. (*uu*) Sed & deprehendit in illa causa Vir integerrimus, non veritati locum semper esse, sed vim veritate sæpe existere superiorem. Etsi enim magno studio hoc Johannis Parvi dogma cum Gersone aliisque Theologis damnatum cuperet in Concilio hoc universali, sicut rejectum erat paulo ante in Gallia: Imo ex Sigismundi Imperatoris decreto atq; mandato damnari jam cœptum esset, decreto publico hanc in rem facto: (*xx*) Nihilominus tamen Burgundiones aut Ducis Burgundiæ assecla vehementer in Concilio restiterunt. Adeo ut Petri de Alliaco & Gersonis vota ab adversa parte refellerentur atque perstringerentur. Sicuti inter alios *Johannes de Falckenberga* (*yy*) *Theologus*, peculiari ac prolixiore scripto sententiam Petri de Alliaco, alioque Gersonianam, Alliacenæ parem, vellicavit. Eoque hæc rediit contradictio, ut ob potentiam artesque Burgundionum controversia sensim dissimularetur à quibusdam Cardinalibus, ab ipsoque tandem Papa Martino V. declinaretur. (*zz*) Quod vehementer momordit & Petrum de Alliaco & Gersonem.

Johannis Parvi Theologi sententiam in Principes injuriam in Concilio damnavit.

Adversarium in Concilio habuit Johannem de Falckenberga.

Aut te offeras omnino totum in potestatem & gratiam Concilii, ejusdemque decretis super hac re acquiescas: Ita namque fiet, ut Concilium ob honorem Domini nostri Regis Romanorum nunc præsentis ac fratris ejus Bohemiæ Regis, clementer acturum sit tecum: Aut si ex dictis articulis quosdam tenere ac defendere intendas & desideres aliam audientiam, concedetur tibi quidem: Sed tunc scias, hic esse magnos & illuminatos viros, qui fortissima habent adversus articulos tuos fundamenta. Et verendum est, ne inde gravioribus involvaris erroribus. Id consulendo dixerim tibi, non ut judex.

(*tt*) Acta hujus Concilii Nationalis Gallici de causa Johannis Parvi habentur in AUGUSTA WOLFFENBUTTELENSI BIBLIOTHECA, magnis *Codicibus MSCtis* comprehensa.

(*uu*) in Actis Concilii Constantiensis de hac Johannis Parvi controversia, quæ itidem magnis *MSCtis codicibus* absolvuntur, qui in *Augusta Wolffenbuttelensi* superioribus sunt juncta, exhibetur hæc Alliaci publica Concilio Const. proposita de Johannis Parvi dogmate sententia. Quam, si Deus vires & vitam largietur cum plerisque Actis peculiari hujus operis Historici Tomo aliquando recensebimus.

(*xx*) Quod *ex Sigismundi Imperatoris voluntate in Concilio factum* contra Johannis Parvi doctrinam *decretum* refertur à *Gersone in Apologia*.

(*yy*) *Monumentum hoc Johannis de Falkenberga* pro Johanne Parvi, *Alliaceno* Cardinali in Concilio Constantiensi *oppositum*, habetur in *Codice MSCto Augustæ Wolffenbuttelensis*, unde suo tempore alio Tomo hujus operis repetemus.

(*zz*) Non dissimulavit has artes *Gerson* in laudata *sua Apologia*.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Iniquos in Concilio judices expertus.

sonem. Ut & in ipso Concilio de corrupto judicio conquererentur, finitoque Concilio concoquere hanc veritati illatam injuriam non possent: Qui palam hosce judices accusarent iniquitatis, qui personarum respectu fascinati hos damnarent infirmiores, alios absolverent potentiores, qui *Hussum* cremassent, *Wiclefumque* damnassent, *Johannem Parvi* elabi sinerent. (*aaa*)

Scripta in Concilio edidit.

Porro anno 1416. cum *Reformationis* caput in Concilio tractaretur, peculiaribus scriptis de *Autoritate Ecclesiastica* & *Reformatione Ecclesiæ* palam exposuit, senex sexaginta quinque annorum, quid interesset Ecclesiæ, moniturus. (*bbb*)

Festum Trinitatis commendavit.

Devotio, pro communi illius temporis in externarum ceremoniarum ubertatem affectu, pellexit Alliacum quoque, ut, qui ante paucos annos *Festum Trinitatis* celebrari per Benedictum curaverat, nunc in Concilio *Josephi Festum* (*ccc*) peculiari scripto commendaret. Quem imitatus Gerson, multis in Concilio Const. concinnatis libris ac epistolis hanc in rem facientibus, quæ habentur Tomo IV. operum Gersonis.

Orationes in Concilio habuit.

Postquam A. 1417. Electio novi Pontificis quæsita ac tentata, Cameracensis noster prope septuagenarius *orationes* habuit varias *de Reformatione Ecclesiæ in capite & in membris.*

Scripsit tunc etiam V. Non. Octobr. *de modo & forma eligendi Papam.*

Electioni Papæ interfuit.

Electioni dum *interfuit* senex, Cardinalis, Martino V. electo, *reformationem Capitis frustraneam* esse expertus est.

Soluto dein anno 1418. per Papam Martinum V. *Concilio, ad Camera-*

(*aaa*) *Gerson* pluribus hoc prosecutus est in memorata *Apologia*: *Petrus* autem noster *Cardinalis* in ipso Concilio variis *orationibus* acriter injustos hos judices & callidos machinatores perstrinxit. Videri hanc in rem poterit *Oratio solennis Cardinalis* nostri *Cameracensis*, habita publice in Concilio Constantiensi A.1417. die Dominico medio Quadragesimæ, Tomo I. Operum ejus, Argent. 1490. Ubi bilem suam effudit in iniquos illos justæ causæ tortores.

(*bbb*) Publice in Concilio in celebri consessu prælecta atque publicata sunt illa *Alliaci opuscula*, Ecclesiæ fortunam ac salutem concernentia. Illud, *de Autoritate Ecclesiastica*, d. 1. Octobr. in Ecclesia S. Pauli. hoc *de Emendatione Ecclesiæ* d. 1. Nov. ejusdem anni Concilio oblatum. Quod & alii omnes scriptores memorant. Sanctesius lib. De Eucharistia, Rep. X. Cap. X. recensente Launojo, Tom. II. f. 475. ita scribit: *Inter Doctores Concilii Constantiensis quasi lumen emicabat vir insignis Petrus de Alliaco, Episcopus Cameracensis, qui Synodo librum suum de Emendatione Ecclesiæ obtulit.*

(*ccc*) Monet hoc Launojus f. 475. *Alterum* opusculum ab *Alliaco in Concilio editum est De duodecim honoribus beati Josephi, qui eo seculo majori quam antea veneratione coli cœpit. Memini me legere Manuscriptum Turonense Breviarium, in quo nocturnarum vigiliarum lectiones ex illo libello sumerentur.* Habetur *hoc scriptum Tom. I. Op. Arg.* 1490. Quod autem illa tempestate *magnus dierum Festorum* crescceret *numerus, Clemangius* hoc nimis festivum, ac veræ Christianæ rei, in sincera pietate ac interno magis Dei cultu positæ, non parum adversum judicavit, edito hanc in rem A.1413. pulchro opusculo, *De novis celebritatibus non instituendis.* Habetur in operibus Clemangii editionis *Lydianæ.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

meracensem suam Ecclesiam reversus est. Doloris amplissimam materiam non solùm *ex irrito in multis Concilii eventu*, sed & ex *Parisiensis Academiæ ruina* invenit. *A Concilio Cameracum reversus, tristia vidit fata.*

In restaurandum ac beandum dotandumque *Navarrense Collegium* multa contulit beneficia (*ddd*) Cameracensis, septuagenario major. Ut gratiam referret Domui, in qua & doctrinam & honores olim consecutus amplissimos.

Inter alia in resuscitandam Academiam beneficia numeratur, quod *nobile Collegium*, magnificum ædificium, de hujus sui Conditoris nomine dictum *Domus Alliaci*, extruxerit. (*eee*) *Splendidũ collegium Parisiis suscitavit.*

Amicissimos sibi multos *viros* & *cædi* & torqueri *Parisiis* miserrime, per Burgundiones, suo cum dolore vidit, qui ipse vix salvus evaderet. *Gersonis* quoque integerrimi Viri *exilium* deploravit, cui in exilio magno fuerat solatio Alliacus in Gallia à cæde servatus. (*fff*) *Gersonis exilium deflevit.*

(*ddd*) *Circa hoc tempus observandum mihi videtur*, inquit *Launojus Tom. II. f.* 475. *quod ad illius gloriam non mediocriter conducit. Tot quippe & tanta bona cum in libris atq; ædificiis, tum in reditibus regio Navarræ Gymnasio identidem contulit, ut ducentis abhinc annis & triginta fundator alter existimetur.*

(*eee*) Quod *Spondanus* in Annalibus Ecclesiasticis notaverat, *ab Alliaco extructam* quoque esse *Bibliothecam*, repudiat *Launojus*, ac pro opere Caroli VII. Regis habet, cujus & nomen μονόγραμμον Bibliothecæ fenestris vel centies sit inscriptum, & statua in occidentali turbinati parietis cono erecta conspiciatur. Quid si verò Alliacus & consilium Bibliothecam instituendi dederit, & libros non paucos suppeditaverit, quod fatetur Launojus, Rex locum dederit domumque suscitaverit atque sedem ornaverit? *Condidit*, inquit Launojus, *ingentem illam domum, in idonea cubicula duodecim tributam, quæ ad Septentrionis regionem communi areæ imminet, quæq; à sui Conditoris nomine Domus Alliaci in Collegii Regestis appellatur.*

(*fff*) Hanc *Alliaci servati fortunam* his in exilio suo spontaneo ornavit metris Gerson.

Adv. Eheu, perurgent, *monice*, monice,
Anni nefasti, sanguinei, & necis.
Civilis ensis cuilibet imminet,
Qui juste vivit, vera vel edocet.
Monic. Me me fruaris, *advena*, consule
Hac in ruina pestiferæ vicis.
Ad te redito solus in otia.
Esto virilis, vim facito tibi.
Mens in superna se levet ocior
Odas canoras psallat alacrior
Quales Sophiæ dictat amor pius,
Non quas libido sordida suggerit,
Quas musa garrit scenica crebrius,
Ut cor malignis urat amoribus.
Curæ, coquentes anxia pectora,
Tristes abibunt, credito, longius;
Nam spiritus cor visere cœlitus
Gaudet, quod almum personitat Deum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Pontifici responsa dedit.

A. 1422. cum Wratislavienses Pontificem Martinum V. obsecrassent, causam apud illos controversam de censibus ac reditibus alienandis ac vendendis componeret, Pontifex consultis inter alios Petro Alliaco Cardinale & Gersone, ex ipsorum sententia, quam recensuit *Launojus Tom. I. f.* 129. litem diremit, Bulla in hanc rem publicata, quæ habetur inter *Extravagantes communes lib.* 3. *tit.* 5. *cap.* 1.

Legatus Papalis in Germaniam inferiorem.

Senex septuagenario major altera vice à Pontifice Martino V. *in Germaniam ablegatus* est, quo officio proxime ante Concilii Constantiensis tempora jam erat functus. In qua *legatione ad Germanos* vita tandem quoque functus est.

Testamentum condidit.

Morti igitur *vicinus*, anno 1425. senio confectus, septuaginta quinque annos natus, *testamentum* condidit, quo corpus suum sub altari parvo Chori Ecclesiæ Cameracensis recondi mandavit. Præterea *Cameraci* in Ecclesiis, & *Compendii* in patria sua in variis Ecclesiis, & *Parisiis* tum in æde regia tum in Collegio Navarræ, ut & in Ecclesiis *Suessionensi*, *Noviomensi* & *Anicienſi* sacra funebria fieri jussit.

Legavit multa Ecclesiis.

Certam pecuniæ summam *legavit* Nosocomiis & pauperibus Ecclesiis, quæ in patria *Compendii*, *Cameraci*, & ad illas urbes conditæ.

Non immemor familiæ.

Jussit denique, id omne quod *opum* suarum superesset, in tres dividi partes. Quarum una ad *justorum* in Ecclesiis Parisiensi, Suessionensi, Noviomensi, Anicienſi, S. Antonii Compendiensis, & Navarrici Collegii, *funebrium* constitutionem impenderetur, altera in *pauperum adolescentularum* generis potissimum sui *matrimonium* insumeretur, tertia propinquioribus quatuor *hæredibus* traderetur. (*ggg*)

Posthæc & longæ vitæ & multis laboribus finem imposuit, quando

---

Adv. At cum sodales mors mihi sustulit,
Cum Pallas arcem vix habitet suam,
Quæro, sonabunt cui mea cantica,
Nervi loquentes, quos lyra temperat?
Mon. Omitto Musas, angelus audiet
Sanctique tecum! Nonne satis tibi?
Nec prorsus omnes mors tulit effera.
PETRUS superstes, quem sapientia
Totum replevit, CARDO dedit sibi
Nomen statumq;. Sufficit unicus,
Carmen melodum cui resonet tuum.
Vivit *Gerardus.* Quis rogo par sibi?
Qui *veritatis exul amore* fit.
Nostri *Clemangis* dulce sapit stilus.
Ætas novellam progeniem dabit
Pro patribus, quos perdidit Atropos.

(*ggg*) Verba Testamenti recensuit *Launojus Tom. I. f.* 131. Ubi & executorum Testamenti longam contestationem, legatorumq; Alliacenorum curatam recensionem, scriptam Cameraci A. 1429. d. 18. Apr. attexuit. Conf. Tom. II. f. 475. 476.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quando hoc ipso *anno* 1425. *d.* 9. *Octob.* ex hac vita emigravit vir religiosissimus, *annos natus septuaginta quinque.* (*bbb*) *Obiit A.* 1425.

In legatione vero, nomine Pontificis Martini V. in *Germaniam*, eamque *Inferiorem*, quod diem obierit, manifeste refert monumentum ejus, in Cathedrali Ecclesia Cameracensi spectandum, his verbis: IN GERMANIA INFERIORI *pro sede Apostolica legatione fungens moritur IX. Octobris MCCCC XXV.* Non igitur in sua Cathedrali Ecclesia Cameraci, sed ab inde legatione Papali abstractus, extra Episcopalem sedem vitam clausit. Id quod etiam exinde manifestum, quod *corpus defuncti Cameracum* fuerit *deportandum.* Locus autem Germaniæ inferioris, ubi defunctus, in monumento illo non est expressus. *In Germania Inferiori.*

Quod verò *Aubertus Miræus*, *Hoffmannus in Lex. Univ. Launojus*, *Tom. II. f.* 480. referunt, Alliacum *Avenioni* fuisse mortuum, undecunque demum hauserint, pugnare omnino cum ipso Cameracensi videtur monumento. (*iii*) Nisi fallat *Avinionis* appellatio, ut alius sit urbis in inferiori Germania aut Belgio character. Quid si sit *Avenna*, parva urbs in *Hannonia*, adeoq; Inferiori Germania, *Avesne*, haud longe à *cameraco* disita? Quo forte æger ex Germania ulteriori delatus expiraverit ante, quàm Cameracum plane attingeret grandævus.

Exuviæ ex Germania Inferiori *Cameracum deductæ*, in Ecclesia Cathedrali pone majus altare sunt *reconditæ.* *Exuviæ Cameracum deductæ.*

Uti ex Testamento in variis Galliæ Ecclesiis *sacra* pro Alliaco *facta*, ita & æterna passim Cardinali defuncto sunt suscitata *monumenta*, indelebilia meritorum virtutisque probatissimæ testimonia. *Sacra passim pro eo facta.*

Parisiis in Basilica Collegii Navarrensis Epitaphium *imaginem Cardinalis* hujus refert purpura Cardinalitia amicti, quæ omnium spectantium oculos post fata ferire atque in admirationem cunctos rapere publica autoritate debuit; hac addita inscriptione: *Memoriæ Reverendissimi in christo Patris Domini Petri de Alliaco, tituli quondam S. Chrysogoni Cardinalis Presbyteri, Cameracensis Episcopi, hujus pridem Domus Præceptoris seu Magistri ac benefactoris amplissimi, cujus gesta atque legata in literis super his confectis atque tabellis suppositis continentur.* Quæ memoratur tabula, largitionum *Compendii* hujus maximarum breve compendium complexa, videri potest apud Launojum Tom. I. f. 134. seqq. (*kkk*) *Monumentum ejus Parisiense.*

Præter-

(*bbb*) Launojus Tom. I. f. 129. *Anno postquam vastatum est à Burgundionibus Collegium, ne quid illius infelicitati deesset, in Germania lux Ecclesiæ magna extincta est Petrus Alliacus, cum ibi legatione Apostolica defungeretur, Cameracensis Episcopus & tituli S. Chrysogoni Presbyter Cardinalis. Hoc nomen pietatis nomen est & Ecclesiasticæ eruditionis.*

(*iii*) Pugnare secum videbitur *Launojus*, qui l. c. *T. II. f.* 129. *in Germania* Aliacum defunctum dixerat, *Tomo II. f.* 480. *Avenioni* obiisse memorat: Nisi forte concilietur modo simili à nobis suppeditato.

(*kkk*) Initium monumenti illius Navarrici hic notare libet, ex quo constet, quantum apud Gallos Alliacenæ virtutis ac benignitatis fuerit pretium. *Fundationes,*

Symbolũ ejus. Præterea *symbolum Cardinalis* imagini adjectum : *Veritas vincit.* (*lll*)

Monumentum Compendiense. In patria etiam, *Compendii*, in Ecclesia B. Antonii, in perpetuam viri memoriam, & patriæ laudem perennem, *epitaphium* suscitatum, quo Cardinalis noster Petrus Alliacus, cardinalitio habitu vestitus, inter parentes suos positus, quibus utrumque filii latus clausum conspicitur, singulare patriæ decus ac sempiterna gloria.

Monumẽtum Cameracense. Similiter *Cameraci* in Ecclesia Cathedrali Episcopi sui incomparabilis sanctam memoriam conservarunt Cameracenses hoc monumento: *Magister Petrus de Alliaco, Doctor Theologus, apud compendium humili loco natus, per varios gradus conscendens, primum Parisiensis Academiæ Cancellarius, & Johannis Gerson similiter Cancellarii Magister: Item Capellæ Palatii Regii Thesaurarius: Deinde Cameracensis Ecclesiæ major Archi-Diaconus factus est, & susceptus*

tiones, erogationes & institutiones Reverendissimi in Christo Patris domini Petri de Alliaco, Cardinalis Presbyteri tituli S. Chrysogoni, Cameracensis Episcopi, hujus quondam Domus Præceptoris seu Magistri ac benefactoris munificentissimi. Reverendissimus in Christo pater dominus Petrus, dictus de Alliaco, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ tit. S. Chrysogoni Presbyter Cardinalis, Aniciensis, ac deinde Cameracensis Episcopus, Doctorq; Theologus eruditissimus, utpote dum viveret Aquila Franciæ appellatus, atque aberrantium à veritate malleus indefessus, hujus quondam Domus Præceptor seu Magister, ac deinde Parisiensis Cancellarius, natione Compendius, ipsiusque domus à præcessoribus secundus fundator vulgatus: Quippe qui, post multa donaria necessaria videlicet suis ope & opera erecta, ac singulariter præcipue Domus Theologorum constructionem, ac deinde librorum seu codicillorum tam in hac Capella, quam in Bibliotheca seu libraria, nedum à se ingenio studio & industria dictatorum, sed etiam præcessorum doctorum doctus scriba in regno cœlorum, proferrens de thesauro suo nova & vetera, affluam erogationem --- magnificus largitor ac liberalissimus dispensator nobis donavit &c.

Dolendum verò claudi isthanc tabulam obscuris & infelicibus rithmis, eleganti genio Alliaci disparibus, qui epicedion referre debebant:

Funera quæ captat, hinc felix, urbs Cameraci,
Munera contrectat ejus Venerandi Aliaci.
Hæc Domus, In qua auctus & tanto est schemate fultus,
Ut studiis clarus claros superaret; Adeptus
Ecclesiæ gradibus apicem, usque ad Cardinalatus.
Quis non ingratus larga attulit, ut legis intus:
Exemplo exemplum dans adem angereq; templum.
Quem jam cum sanctis ideo Deus adjice cœlis. *Amen.*
Qui legis, hic claude, discedens claudere gaude,
Quo sic continuo stem quoque perpetuo.
Veritas vincit.

(*lll*) Quod si *epitaphium*, quod vocat Launojus f. 479. *breve*, his verbis conceptum: *Hic jacet reverendus Pater Dominus Petrus de Alliaco, Theologiæ Doctor, quondam Episcopus Cameracensis, orate pro eo*, sit lapidis sepulchralis inscriptio, exiguum lapidis spatium facile prohibuerit addere alia designata, veluti quod Cardinalis fuerit & Legatus postremo Apostolicus, & similia. Sicuti in lapidibus sepulchralibus sæpe brevius deprehenditur lemma, quàm præscriptum fuerat. Ut Launojo eapropter sollicito & hic eximii queat scrupulus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ptus XXVII. Maji M CCC XCI. moxque à Pontifice Maximo Benedicto XIII. ad Aniciensem Episcopatum promotus, & post sesquiannum ad Cameracensem Ecclesiam, jam septem mensibus ab Andreæ de Luxemburgo decessu vacantem translatus, initio mensis (forte omissum *Julii*) *anno* M CCC XCVIII. (legendum XCVI.) *absens per procuratores possessionem adeptus. Ipse sequenti mense Augusto ad eam venit, illique præfuit annis fere XIV. Demum à Johanne XXIII. Pontifice Maximo sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis tituli S. Chrysogoni creatus est mense Majo* (forte legendum Junio) MCCCCXI. *In Germania Inferiori pro sede Apostolica legatione fugens moritur X. Octob.* MCCCC XXV. *Exuviæ corporis sequenti mense Julio* (forte Nov.) *cameracum deportantur retro majus altare, & ibi conduntur.*

Visitur præterea in eadem *Ecclesia Cameracensi* memorabile & elegans superiori junctum virtutis Alliacenæ testimonium, quod Clemangianum referat stylum atque genium. *Epitaphium Reverendissimi Patris Domini Petri de Alliaco, Theologi Doctoris, quondam Episcopi cameracensis.* *Epitaphium aliud Cameracense, Cardinali nostro positum.*

Mors rapuit Petrum, petram subiit putre corpus:
Sed Petram Christum spiritus ipse petit.
Quisquis ades, precibus fer opem, semperque memento
Quod præter mores omnia morte cadant.
Nam quid amor Regum, quid opes, quid gloria durent,
Aspicis: Hæc aderant nunc mihi, nunc abeunt.

Præclara hæc ingenii Alliaceni encomia, ab obitu ejus cumulata, non solum omnes viri docti, antiquæ virtuti literariæ pretium ponentes, in hunc usque diem quotidie repetunt, sed & tanto cupidius augent, quanto melius sera posteritas virtutis antiquæ dignitatem ponderat ac veneratur. Imo si taceret orbis, & Alliaci Cardinalis, de Romano-Germanico etiam Imperio optime meriti, dememinisset quod fieri sane nequit, *monumenta* tamen *literaria Alliacena* sua luce orbem nunquam non irradiarent, suoq; eloquio & sacrum forum & principum curias implerent. Dum *Gersonis* memoria erit salva, *Alliacus* quoque vivet. Et serior posteritas impensius adhuc manes horum colet, & si fas sit, divorum numero accensebit. *Monumenta ejus literaria.*

Edita, tum seorsim, tum voluminibus certis comprehensa, haud longe ab inventa typographia illo adhuc sunt quo vixit seculo *nonnulla*. Recensita hæc à *Launojo*, *Warthono* & aliis. *Impressa aliqua.*

Revocata quoque sæpius *in lucem* sequentibus his seculis *aliqua*. Verùm non visus est hactenus, qui vel omnia vel pleraque *Alliacena opera* congessisset, in certos Tomos digessisset, atque pro genio ac ornatu seculi nostri instruxisset. Longa hæc orbis eruditi vota utinam impleat tandem aliquis, qui si non suæ ætatis, posteritatis tamen, cujus interest hæc scire, rationem habeat. *In Tomos nondum digesta omnia.*

Latent autem passim Alliacena non pauca, quæ typorum operam nondum sunt experta, sed in obscuris tenebris delitescunt, injustos carceres & longæ oblivionis vincula sustinendo. Indignum profecto, *Multa adhuc latent.*

hæc tantæ eruditionis ac usus scripta, auro pretiosiora, sic in umbra iniqua detineri, blattis ac tineis exedenda relinqui, ac corruptioni spontaneæ committi. Quanto plura elabuntur secula, tanto citius etiam effluit spes illa servandi: Cum præter intrinsecam ac intestinam corruptionem, non solùm foris flammæ & imperitæ manus incaute hæc absumant, sed & ipsa vetus scriptio sensim vel expiret ac deteratur, vel obscurior cum annis fiat, oculosque posterorum prorsus effugiat.

MSCta ejus per Bibliothecas sparsa. Quædam MSCta Alliacena recensuit *Launojus Tom. II. Hist. Navarr. f. 467. seqq. in Gallia* servata. Latent *alibi* plura. In Bibliothecis etiam Germaniæ exhibentur similes reliquiæ Alliacenæ. Sicut in *Nostra Academiæ Juliæ Bibliotheca* nonnihil eorum possideri, ex opusculo supra Parte VI. exhibito ac ex MSCtis eruto patet.

Quo trahitur longior ætas, eo gravius & difficilius periculum premit hæc talia MSCta. Quandoquidem ex priscorum seculorum vel modestia ipsi autores nomina sua exprimere intermiserunt, vel amanuenses ac librarii partim ex imperitia, partim ex judicii tarditate illa addere neglexerunt. Quod grande est infortunium, quod MSCta urget, premit, ac tantum non plane opprimit. Sane ex eo fit, ut, autore ignoto, vel scripta non æstimentur ac abjiciantur, vel meris ac lubricis posterorum conjecturis exponantur.

Inquiritur in autorem operis supra Parte VII. exhibiti. Simile fere & nobis contigit in recensione opusculi, Parte superiori VII. ex *MSCto antiquissimo* magno labore eruti. Nimirum in *pretiosissimo Codice MSCto*, & antiquitate sua venerabili, & argumentorum ac scriptorum contentorum dignitate incomparabili, *nulla* præsentis monumenti à primo librario facta est *inscriptio*, *nullaque autoris* facta *mentio*; qui forte credidit, lectoribus futuris æque, ac sibi illa ætate erat, fore cognitum autorem illustrem. Quæ nimia fiducia fallat posteros remotiores. Accessit dein *alia manus*, quæ hanc dedit fronti lucem: *Avisamenta pulcherrima de Reformatione Ecclesiæ in capite & in membris fienda.*

Petrus de Alliaco creditus autor. Nos igitur, hoc præclarum *opusculum anonymi Tomo huic I. Rerum Concilii Constantiensis* cum aliis antiquis scriptis nobilibus daturi, diu hæsimus, quibus non pateret via ad *autorem certum* penetrandi.

Non proinde aliud superfuit remedium autorem indagandi, quàm conjectandi ac ex re tractata ut & stylo colligendi artificium.

Quod igitur constaret, Alliacum tempore Concilii Constantiensis plures de Ecclesiæ Reformatione scripsisse libellos, inque illorum com plusculis cognitis idem fere tractasse argumentum parique fere stylo, uti in illo anonymi deprehenderetur: Hinc conjectura subiit ani mo, *Alliaco* & hoc opus insigne atque memorabile deberi. Inprimis huc nos pellexit *appendix in MSCto Vindobonensi* obvia, etsi à libro quoad rem nobis distincta visa, in qua *autor anonymus* illo sollicite esset usus comparationis genere, inter solis, lunæ & astrorum lu cem in cœlo atque regiminis Ecclesiastici & civilis officia in terris, quod extra controversiam *Alliacus* in ipso Constantiensi Conci-

Concilio in solenni oratione fuse erat prosecutus. Quam luculentam aliàs orationem Alliacenam, hoc dicendi ac illustrandi genus complexam, supra, sub finem opusculi, ex antiquo codice exhibuimus.

Hæc igitur *nostra tum* fuit *conjectura*, quæ effecit, ut Alliaco interea dandum crederemus quod genium ac stylum ejus referret, donec major aliquando lux *autori genuino* alluceret, vel major conjiciendi felicitas obtingeret. Uti Alliaco plane asserere opus haud sustinuimus, meticulosiores in re obscura & anticipiti.

Ne autem & aliam, forte *feliciorem conjecturam* hic præteremus, quid rem diu noctuque pensitantibus nobis inciderit pro *autore aurei illius opusculi* cognoscendo, candide exponere lubet. Ut sagacioribus aliis uberior & amplior rimandi detur ansa. *Conjectura nova.*

Scilicet, THEODERICUS à NIEM, *Westphalus*, *Paderbornensis*, *Episcopus*, ut fertur, *Verdensis ac Cameracensis*, curiæ Romanæ, sub multis Pontificibus toto pene schismatis illius tempore ante Concilium Constantiense, minister haud postremus, secretioribus Pontificum negotiis adhibitus, sui erga Ecclesiam amoris & erga Imperium Romano-Germanicum, sub quo natus, devotionis fuit tenacissimus. Quæ affectionis in Deum & Magistratum semel conceptæ tenacitas ac infracta mentis constantia in antiquis jam olim laudata Westphalis. Hic ergo Westphalus, *Theodoricus à Niem*, infortunii Ecclesiastici illa tempestate communis impatiens, ac læsorum jurium Imperii Romano-Germanici pertæsus, varia illo tempore ad viros doctos & illustres ipsosque Principes dedit scripta, quibus fideliter consuleret. In his refertur opusculum, à *Simone Schardio* in *Syllogen Historico-Politico-Ecclesiasticam* *f.* 247. relatum, hoc tit. Privilegia & jura Imperii, circa Investitura Episcopatuum & Abbatiarum, restituta à Papis Imperatoribus Romanis, & simul variæ historiæ, ad eorum illustrationem utiles, per *Theodericum à Niem.* Hujus *opusculi Niemiani* venditatam *præfationem*, dum ob scripta Niemii plenius cognoscenda illud opusculum denuo nuper evolvimus, convenire sensimus cum *appendice* laudati nostri opusculi, neque differre nisi unâ alteraque vocula, quam vel Schardio vel nobis MSCtorum ambiguitas dictasset. Hoc quoque discriminis incidebat, quod à Schardio ille *Niemianus discursus de autoritate supremoque jure Imperatoris* pro præfatione operis habeatur, qui in Codice MSCto Vindobonensi nude exhiberetur, absque opere ipso à Schardio subjuncto. Sicuti & *Epistolæ* alicujus verba esse palam dicuntur. Præterea in CODICE MSCto VINDOBONENSI plura ad *eandem Epistolam* pertinentia exprimuntur, à nobis inde deprompta, quæ in Schardiana præfatione non leguntur. Ut, si conjectura quid valeat, videatur non tam esse præfatio operis, quàm separatum quoddam opusculum alteri cuipiam viro magno submissum, & id quidem à Schardio non integrum inventum ac recensitum. Quemadmodum nec nos asseveraverimus, etiam cum illo Auctario Codicis Vindobonensis *episto-* *Theoderico à Niem Westphalus autor videtur potior libri supra Parte* VII. *editi.*

pistolam vel *dissertatiunculam Niemianam* adhuc esse integram atque perfectam. Viderint hoc, quibus similes inspicere *Codices MSctos antiquos ad Concilium constantiense pertinentes dabitur.*

Consonum huic & alterum scriptum *Theodorici à Niem, à Goldasto* expressum *Tomo II. Monarchiæ S. R. Imperii, f.* 1381. *Exhortatio* nempe *ad Du. Rupertum Romanorum Regem, ut surgat à diuturno somno, &, ut extirpetur schisma Pontificium ab Ecclesia & jura Imperii reformentur, intendat.*

Quandoquidem igitur *Appendix illa Partis VII. ex MSCto Vindobonensi* debebitur huic *Theodorico à Niem*, magno tum temporis Viro, forte eidem Niemio opusculum ipsum Partis VII. acceptum fuerit ferendum. Idque ex eo videbitur robur accipere, quod memorent Viri clarissimi, Gesnerus & alii, *Opus THEODERICI à NIEM MSCtum in BIBLIOTHECA CÆSAREA* reperiri *DE REFORMATIONE ECCLESIÆ ROMANÆ.* Verosimile adeo, esse laudatum illud monumentum, sub charactere *Avisamentorum pulcherrimorum de Reformatione Ecclesiæ in capite & in membris fienda, in MSCto VINDOBONENSI* designatum, & à nobis *Parte VII.* sub umbra Petri de Alliaco ex laudatissimo *MSCto Vindobonensi* recensitum, huic THEODERICO *à* NIEM reddendum. (*mmm*)

Theodorici à Niem Opus de Reformatione Ecclesiæ, idē esse videtur, quod Parte VII. *Petro de Alliaco adscriptum.*

Neque verò adversum lectori videbitur, in antiquis ejusmodi & pene sepultis rebus, minutisque rerum, ut videntur, circumstantiis, *genuinis* nempe *autoribus* eorumque virtutibus cognoscendis atque distinguendis, plusculum operæ impendi. Magna enim libro affunditur lux ex ipsius ejusque magni autoris oculis. Intueri frontem scriptoris, ejusque colores observare, dum liber inspicitur, est magnum operi conciliare lumen. Genius autoris cognitus, est optimus in legendo commentarius.

Neque alienum fuerit, in auctore resuscitando, atque ex pulvere revocando suæque integritati restituendo, feliciorem existere diem unum altero. Habemus sæpe libri autorem, etsi hæsitabundi, quandoque certissimi, quem mox linquimus, veriore substituto. Magnum sane in inventione est fortunæ præsidium, cui, quæcunq; sit, indignari nefas.

Plura in aliis Viris clarissimis hujus *fortunæ haud repudiatæ* daremus exempla, dum vestigiis aliquibus cognitis, profundius tandem *in intimam antiqui status cognitionem* penetrarunt, si locus esset. Sane quid in tenui umbra nobis ipsis contigerit, alio liceat illustrare exemplo, in ipsis his rebus antiquis Concilii Constantiensis adornandis haud infeliciter oblato.

In universo nempe *opere hoc, res Oecumenici Concilii Constantiensis complexo*, ex arbitrio SERENISSIMI DUCIS RUDOLPHI

(*mmm*) Atque ita rectissime porro auguratur illustris *Meibomius Tom. I. Rerum German. f.* 3. hoc de *Reformatione Ecclesiæ opus Nimianum*, in MSCto codice Cæsareo conspicuum, non esse idem cum illa *ad Imperatorem Rupertum Epistola Nimiana*, quam stitit Goldastus. Id quod manifeste docebit collatio utriusque, hujus à *Goldasto* alterius *à nobis* supra expressi operis.

PHI AUGUSTI, agmen Scriptorum antiquorum ducere debuit THEODERICUS VRIE, *Theologus Augustinianus ordinis Eremitarum, Provinciæ Saxoniæ. Hispanus* hic habitus à Scriptoribus Italis aliisque sequacibus, uti in vita ejus monuimus *Parte I. fol.* 222. Verum interea dum frustra per literas quæsivimus ubi terrarum vixisset, conjecimus *Germanum* fuisse, qui ex *antiquæ Saxoniæ* sive *Westphaliæ* cœlo auram traxisset, & vel in ipsa *patria mea Osnabrugo* egisset.

Theoderico Vrie nō Hispanus sed Germanus.

Neque vanum sed *fortunatissimum* fuisse *augurium*; post longum & sollicitum scrutamen nos docuit JOHANNES SCHIPHOWERUS, MEPPENSIS, WESTPHALUS, ejusdem ordinis cum Theoderico Vrie *Theologus, Augustinianus*, qui in eodem plane quo Theodoricus noster Vrie egit Osnabrugensi Collegio, eodemque quo Vrie claruit seculo. Notavit hic aperte in *Chronico Archi-Comitum Oldenburgensium, Tomo II. Rerum Germanicarum Illustris Nostri MEIBOMII, fol.* 172. inclaruisse THEODERICUM VRIE in WESTPHALIA, antiqua Saxonia, & quidem in ipsa OSNABRUGO, ubi in Collegio Augustinianorum *Theologi Professoris* munus cum laude obierit. Digna omnino ejus, quæ hic legantur verba, quod insigniter illustrent conjecturas non prorsus vanas in obscuris & reconditis antiquitatis ruderibus. *Vixerunt*, inquit Schiphoverus, IN CONVENTU OSNABURGENSI *ordinis Fratrum Eremitarum Divi Patris Augustini duo luminaria mundi. Primus fuit venerabilis lector Johannes de Widenbrugge, Vir sincerus & doctus. Quis eo clarius librum Ecclesiasten explanarit penitus ignoro. Quem librum Vaniloquum intitulavit & in duas partes divisit. Sermones multos ad clerum & ad populum dereliquit. Secundus fuit doctissimus Lector* DIDERICUS *VRIGE, qui fuit* VIR MAGNÆ SCIENTIÆ ET SANCTITATIS. *Et in Scripturis reliquit* LIBRUM DE CONSOLATIONE ECCLESIÆ, *qui incipit: Regi Regum citra exemplum. Quem librum* IMPERATORI SIGISMUNDO *post Concilium Constantiense propinavit, in die SS. Philippi & Jacobi, sicut ipse fatetur in Postillis suis sermone, qui incipit: Simile est regnum cœlorum homini qui seminat bonum semen: Cosmologion, sive librum apum: Tractatum de Conceptione immaculatæ virginis: Sermones multos de festivitatibus virginis gloriosæ: Sermones æstivales & hiemales super Evangelia. Scripsit super decem præcepta: Item de intensione ac remissione formarum contra Marsilium de Padua: Logicam magnam & parvam: Quadragesimale egregium, quod habetur Coloniæ nostra in libraria, & multa alia, quæ ego videre non merui.*

Johannes Schiphoverus, Westphalus, Theologus & Historicus.

Theodericus Vrie Osnabrugensis Westphalus, Theologus & Historicus.

Scripsit Historiā Concilii Constantiensis, supra parte I. exhibitam.

De cetero, ut in viam redeamus, uti *MSCta Alliaci Opera*, sui temporis historiam & fata Ecclesiæ spectantia, ex tenebris in lucem protrahi dignum & æquum est, ita & *edita cum MSCtis* reliquis tanto curatius omnino *conferenda*, quanto magis sæpe edita à MSCtis differunt, sive describentium lapsu sive codicum MSCtorum

quorundam, quibus alii editores usi, vitio. Sane ipsi deprehendimus, dum præsentis, hac parte VIII. proditi operis editionem primam cum nobili & integro *MSCto Vindobonensi* contulimus, olim omissa partim, partim à mente autoris deflexa, quæ vel in MSCto illoc tunc desiderata aut librariorum incuriâ in prima editione detorta. Optandum itaq; esset, Viri eruditi excuterent sedulo scrinia publica, ut ab interitu servatis & Alliacenis & aliis antiquioribus MSCtis, ederentur rariora, & decenti ornatu instructa ac munita ad posteros commode propagarentur. Quod nostrâ ætate, in posteros amore, & in publicam salutem studio dignum.

Incom-

Incomparabiles hi
REEFORMANDÆ ECCLESIÆ
CANONES
Scripti
CONSTANTIÆ GERMANORUM
In Concilio œcumenico
A. M CCCC XVI.
Cal. Nov.
ac ſummis Concilii Aſſeſſoribus
ſolennisſime
exhibiti
ab
Illuſtri Concilii Capite
PETRO DE ALLIACO
CARDINALE CAMERACENSE
Imperante
CHRISTIANISSIMO CÆSARE
SIGISMUNDO.



Redin-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Redintegratum
Memorabile hoc
Cardinalis opus
In ACADEMIA JULIA
A. M. DC. XCVI.
Menſe Octob.
ex admirabili Codice MSCto
AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ
CÆSAREÆ VINDOBONENSIS
Auſpiciis
Sereniſſimi Brunſvicenſium
Ducis
RUDOLPHI AUGUSTI,
Inexplicabili
Gratiâ
IMPERATORIS
INVICTISSIMI
LEOPOLDI
MAGNI.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf